MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80447-7

*AUTHOR:*

HASSENSTEIN, GEORG

*TITLE:*

DE SYNTAXI AMMIANI MARCELLINI

*PLACE:*

REGIMONTI

*DATE:*

1877

Master Negative #

91-80447-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

## BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



Hassenstein, Georg, 1848-
De syntaxi Ammiani Marcellini; dissertatio philologica quam... proposuit auctor Georgius Hassenstein... Regimonti, ex officina Hartungiana, 1877.
55 p. 23 cm.

Thesis, Leipzig.



Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 2/11/92 INITIALS TM
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

**Association for Information and Image Management**

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0

Hassenstein
De syntaxi Ammiani
Marcellini

# DE
# SYNTAXI AMMIANI MARCELLINI.

## DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM

IN

ACADEMIA LIPSIENSI ORDINI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

PROPOSUIT AUCTOR

GEORGIUS HASSENSTEIN
REGIMONTANUS.

REGIMONTI
Ex officina Hartungiana.
MDCCCLXXVII.

# DE
# SYNTAXI AMMIANI MARCELLINI.

## DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM

IN

ACADEMIA LIPSIENSI ORDINI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

PROPOSUIT AUCTOR

**GEORGIUS HASSENSTEIN**
REGIMONTANUS.

**REGIMONTI**
Ex officina Hartungiana.
MDCCCLXXVII.

87 Am6
EH

# Index.

Ad Ammiani Marcellini rerum gestarum libros post Wagneri editionem per nonnulla decennia minus tractatos virorum doctorum curam nuper redisse litterarum Romanarum studiosum quemque gaudere necesse est. Etsi non sunt pauci, qui de Ammiano bene meriti sunt, ceteris praestare mihi videntur Mauricius Hauptius, Martinus Hertzius, Victor Gardthausenus. E quibus ille (Indd. lectt. Beroll. 1868. 74) codicum ratione explicata optimarum emendationum magnum numerum foras dedit, Gardthausenus totius operis editionem novam eamque criticam paravit, Hertzius duobus libellis de omni scribendi ratione Ammiani nova multa ac mira docuit. Demonstravit enim Ammianum eruditionis ostentandae studiosissimum permultos et pedestris orationis auctorum et poetarum locos per libros suos dispersisse, nec tamen semper manifestos — tales enim loci jam antea a viris doctis, ut Valesiis, Lindenbrogio, J. Gronovio, Wagnero, comprehensi erant — sed, ut Hertzii verbis utar, magna ex parte „artificiose ita reconditos, ut ii tantum ostentationem illam assequi possent, qui eadem doctrinae copia lectionisque permultorum auctorum veterum ubertate pollerent". Quae cum in universum exposuit tum accuratius Gelli expilationem demonstravit Hertzius commentario quem scripsit de „Aulo Gellio et Ammiano Marcellino" (Hermes VIII, 1874). Idem disseruit „de Ammiani Marcellini studiis Sallustianis" (Ind. scholl. Vratisll. 1874). Rem perscrutari perrexit Hugo Michael libello „de Ammiani Marcellini studiis Ciceronianis" scripto. (Diss. inaug. Vratisl. 1874.)

Tamen quaestionem minime perfectam esse nemo certe erit quin intellegat, contra ab ipso Hertzio (Aulus Gellius cet.

p. 265 sq.) alii permulti scriptores Latini nominantur, a quibus Ammianum mutuatum esse sive constat sive veri simile est.

Quae cum ita sint, haud scio an praematurum videatur, quod de Ammiani syntaxi scribere mihi proposui. Et visum est Hertzio (l. c. p. 260; 264 adn. 3), qui ex Ammiani oratione aliena omnia secernenda esse censet, priusquam in universam ejus elocutionem inquiratur. Tamen in syntaxin Ammianeam non frustra inquisitum iri, ipsius Hertzii verbis comprobatur. L. enim c. (p. 265) dicit Ammianum minus proprietates syntacticas quam vocabula locutionesque ex aliis auctoribus excerpsisse videri. Id syntaxi eius accuratius cognita affirmare audeo. Nam ex omnibus illis locis, quos a Cicerone, Gellio, Sallustio, Tacito sumptos esse demonstraverunt Hertzius, Michaëlus, Wölfflinus Gerberusque (Philol. XXIX, 558 sq.), ne unus quidem habet proprietatem syntacticam ab reliqua Ammiani elocutione alienam. Sed in ejus modi locis, quorum nonnullos infra afferemus, etiamsi verba ab alio auctore petita sunt, structura ipsa Ammiani est propria.

Sed multo diversa est quaestio, num Ammianus in universum aliorum scriptorum syntaxin imitatus sit vel, id quod veri similius est, aliorum dicendi consuetudinem nolens sit secutus. Et multis in rebus Ammiani syntaxin ex priorum, imprimis rerum gestarum scriptorum usu pendere apparebit, etsi non sunt pauca, quae a bona latinitate abhorrent. Errant igitur, qui Ammiani elocutionem omnino barbaram esse putant. Atque ut C. F. Müllerus (Fleckeisen, Jahrbb. für Phil. 107, p. 364) et alii scriptorem nostrum — sit venia verbis — „declinare et conjugare“ non nescire demonstraverunt, ita in syntacticis rebus non omnia sunt corrupta aut confusa.

Sed ut omnis dicendi ratio a Ciceroniana consuetudine ad Livianam, tum ad argenteam quae dicitur latinitatem processit, ita in elocutione Ammianea prioris usus quasi incrementa cernuntur. Nam priorum temporum, praecipue Livi Tacitique dictione adhibita Ammianus syntaxin ad liberiorem usum excoluit. Ut eos scriptores, qui inter illorum et suam aetatem fuissent, minus respiceret, ea re effectum est, quod



praestantissimos duos rerum gestarum scriptores praeter ceteros imitandos sibi proposuerat, quippe qui alterius opus, Taciti historias dico usque ad Domitiani excessum deductas, ab eodem tempore continuaret. Praeter hos Ammianum maximi habuisse et aemulatione dignissimum putavisse notum est Ciceronem.

Qui tamen factum sit, ut Ammiani syntaxis multis rebus a priorum temporum usu discrepet, quin etiam legibus antea diligentissime observatis repugnet, non difficile intellegitur. Primum enim Ammianus non patria usus est lingua, sed, quum natione esset Graecus, et eas libenter adhibuit structuras, quae utrique linguae sunt communes, neque Graecismis abstinere potuit. Ac quibus in rebus scriptoris orationem ex Graeco usu pendere aestimemus, cum ex quaestione ipsa apparebit, tum singula extremo commentario collecta afferentur.

Huc accedit, quod Ammianus, cum per multos annos militavisset, priusquam ad res gestas describendas aggrederetur, ex castrensi et plebejo dicendi genere nonnulla in dictionem suam recepit. (v. Hertz, A. Gellius cet. p. 264.)

Sed ad Ammiani elocutionem excolendam plus momenti temporum, quam scriptoris ipsius condicionem attulisse censeo. Cum enim illa aetate, ut Ammianus ipse saepius affirmat (cf. XXVIII, 4, 14; XXX, 4, 17), litterarum studium veterumque scriptorum lectio corruissent, plebejo genere dicendi nec non multiplici Romanorum cum externis gentibus mixtione omnis sermo Latinus corruptus erat et depravatus. Atque ut Ammiani oratio a priorum temporum elegantia longe discrepet, non per scriptorem stare, sed temporis vitio factum esse, ea re demonstratur, quod, ut ex Libani epistula (in ed. Gardthauseni: Praef. Valesii VIII) comperimus, libros suos cum summa omnium laude Romae recitavit.

# De syntaxi Ammianea.

In Ammiani elocutione tractanda omnis materia dividenda est in partes tres: universum sermonis colorem, vocabula, syntaxin. Quarum quum in quaque notabiles res inveniantur permultae, hoc loco syntaxin accuratius tractare sit satis. Nam de omni dicendi genere ab omnibus fere, qui de Ammiano scripserunt, viris doctis, imprimis Hertzio, acute subtiliterque dictum est, et in ea, quae ex vocabulis cognitu sunt dignissima, jam inquisitum est a. P. Langeno (Emendationes Ammianeae, in programmate Durensi 1867, 4⁰) et M. Hertzio. (A. Gellius cet. p. 267 sq.)

Sed scriptoris syntaxis adhuc multo minus tractata est, de qua una extat Hermanni Kallenbergi dissertatio: quaestiones grammaticae Ammianeae, Halae 1868, 8⁰. Quo in commentario accurate et copiose agitur „de usu infinitivi apud Ammianum Marcellinum" (Pars III p. 8 sqq.), cui dissertationi inserta est quaestio de particula quod.

Atque his quidem rebus Ammiani syntaxis haud scio an maxime differat a priorum temporum usu, excepto gerundivo pro mero participio futuri passivi usurpato. Sed etiam de hoc explicatum est a P. Langeno (in Philologo XXIX, p. 482 sq.). Aliae nonnullae res a viris doctis tractatae suo quaeque loco commemorabuntur.

Tamen in unaquaque syntaxis parte permultae res, quae tractentur, dignae nobis relictae sunt. Sed ne omnis quaestio fluctuet vacilletque, locus certis quasi finibus circumscriptus est quaerendus, (unde) Ammiani sermonis ratio observetur, i. e. insignis quaedam Latini sermonis aetas cum Ammiani elocutione comparanda est. Neque dubitavi cum Livi tum argenteae q. d. aetatis, imprimis Taciti latinitatem eligere, sed Cicerone non omisso, cujus rei causas supra exposui (p. 2 extr., 3).

In hac priorum scriptorum comparatione his praecipue libris usus sum:

L. Kühnast, die Hauptpunkte der Livianischen Syntax. Berlin 1872,

A. Draeger, über Syntax und Stil des Tacitus. Leipzig 1868.



A. Draeger, historische Syntax der lateinischen Sprache. Leipzig 1874—76.

Hoc quidem opus nonnullis in rebus viris doctis minus probatum est, sed in universum in syntacticis rebus summo est usui nec ullus alius liber in illius locum potest substitui. Nostri quidem auctoris a Draegero ratio habita est fere nulla.

Quum nobis propositum sit totam materiam secundum partium orationis ordinem disponere, primum nomina tractaturi disseremus

## de casibus.

1. De ablativo.

In optimae aetatis oratione certorum tantum eorumque paucorum substantivorum ablativos solos poni, ut modus, quo quid fiat, significetur, notum est. Has voces dico: vi, ordine, ratione, more, jure, alias. Sed jam Livius et Tacitus certos illos fines transierunt eorumque exemplum secuti sunt Curtius, Suetonius, Apulejus, Justinus, alii.

Quorum omnium exempla collecta inveniuntur apud Draegerum (h. S. p. 500), Liviana apud Kühnastium (Liv. S. p. 177 sqq.). E quibus affero haec: Liv. XXIII, 16: in sua quisque ministeria discursu trepidat. III, 38: ni consensu resisterent. XXIX, 36: agminibus pugnatum est. Tac. hist. III, 10: pectus . . . . singultu quatiens. V, 15: nox apud barbaros . . . cantu aut clamore . . . acta. ann. I, 59: fama . . . spe vel dolore accipitur.

Hic usus multo etiam crebrior est in Ammiani libris. Exemplo sint hi loci, etsi plerique propter genetivum additum ab ilis paulum sunt diversi. XIV, 1, 6: pervadendo divitum domus egentium habitu. XXVII, 12, 14: quod velamento majestatis regiae Cylaci serviret. XIV, 11, 11: Scudilo velamento subagrestis ingenii persuasionis opifex callidus. XVIII, 2, 19: pacem conditionum similitudine meruerunt. XIV, 11, 6: spe tamen, quod eum lenire poterat ut germanum, (soror) profecta . . . . XVI, 8, 5: ipse spe potiorum pervolat ad castra. XVI, 10, 18: Helenae . . . Romam adfectionis specie

ductae regina . . . insidiabatur. XVI, 11, 3: forcipis specie trusi in angustias. XXXI, 5, 7: humanitatis specie. XXXI, 10, 21: ferociae specie.

Verbo „specie" Ammianus idem significat, quod Livius verbis „per speciem", ut XXXIX, 35: per speciem auxilii Byzantiis ferendi. „Per speciem" ipse quoque Ammianus saepe adhibet.

Nonnullis aliis locis ablativus modi attributis quidem conjunctus, sed tamen liberrime pro praepositione vel plurium verborum circuitu positus est.

XVIII, 3, 1: consulenti discrimen magnum portendi responsum est, conjectura videlicet tali, quod . . . XIX, 2, 4: salutis rata desperatione gloriosos vitae exitus deinde curabamus. XIX, 8, 8: per aestum arida siti reptantes. XXVII, 10, 14: dum turmarum funeribus mutuis res gerebantur. XXX, 4, 1: at in Eois partibus alto externorum silentio intestina pernicies augebatur.

Ut jam Caesar nonnullis locis, saepius Livius, Tacitus, alii poëtarum usum sequentes, ita Ammianus solo utitur ablativo locativo (quem Kühnastius instrumentalem ducit l. c. p. 174) pro praepositione „in", sed plerumque apud verba cum „sistere" et „sedere" composita. Conf. Liv. I, 41: sede regia sedens. XXI, 32: iisque ipsis tumulis . . . consedit. — Ex locis Ammianeis exemplo sint hi: XIV, 10, 10: tribunali adsistens. XXI, 5, 1: saxeo suggestu insistens. XXIV, 3, 3: constructo tribunali insistens. XXXI, 10, 12: abruptis . . . rupibus insistentes. XIV, 7, 4: insidens vehiculo. XIX, 1, 3: insidens equo. XIX, 8, 7: fugaci equo sedens. — XVIII, 6, 16: equestri militans turma. XIV, 2, 12: resistere planitie porrecta. XIX, 5, 1: fastigiis ballistae locatae sunt: quo loco C. F. W. Müllerum „in" non recte puto addere.

2. De genetivo.

In relativorum quae dicuntur adjectivorum usu, quibus genetivus adnectitur, Ammianus eos auctores sequitur, qui secundum poetarum orationem in hoc usu licentiores sunt et in majorem adjectivorum numerum eum transferunt. Nec tamen Tacitum aequiperat, quem hunc usum latissime extendisse notum est. — Adjectivorum, quae in Ammiani libris genetivo conjunguntur, notabilia sunt haec.



**Callidus**. XV, 10, 5: locorum callidi. XXVII, 10, 7: ductantibus itinerum callidis.

**Prudens**. XVII, 1, 7: locorum prudentes. XXX, 1, 5: doli jam prudens.

**Sagax**. XIV, 5, 6: odorandi vias sagax.

**Cautus** i. e. consulens alicui rei. XVII, 11, 4: quo nec fortior nec cautior quisquam patriae fuit. XXIX, 6, 2: sui cautiores.

**Providus**. XXVII, 9, 2: venturi providus.

**Securus**. XXVII, 2, 8: securus insidiarum. XXII, 8, 47: securus voracium beluarum. Similiter XXV, 2, 2; XXV, 3, 8; XXVII, 2, 8.

**Incertus**. XXI, 13, 4: futurorum incerti. XXII, 1, 1; XXIX, 5, 13.

**Ambiguus**. XXI, 13, 2: consiliorum ambiguum. XXVIII, 8, 9.

**Laetus**. XXII, 6, 1: genus hominum . . . litigandi laetissimum.

**Capax**. XXIII, 6, 59: amnes navium capacissimi.

Haec adjectiva praeter „sagax" et „cautus" omnia jam apud Tacitum genetivo conjuncta leguntur.

Ut jam Caesar (b. G. V, 6: quod eum cupidum imperii, magni animi, magnae inter Gallos auctoritatis cognoverant) ita Livius, saepissime Tacitus ejus modi brachylogia utuntur, ut genetivum qualitatis notione generis omissa cum substantivo appellativo aut nomine proprio aut pronomine jungant. Exempla collegit Draegerus (h. S. § 200, 6); de Taciteo hujus brachylogiae usu disserit Zernial:

Selecta quaedam capita ex genetivi usu Taciteo. Gottingae 1864.

Exemplo sint hi loci Liviani et Tacitei:

Liv. XXII, 60: Torquatus priscae ac nimis durae severitatis. Tac. ann. VI, 41: Cassius plebeji generis.

Hic usus etiam in Ammiani dictione non est rarus, ut XIX, 3, 1: Ursicinus . . . auctoritatis tunc in regendo milite potioris.

Primus Sallustius, deinde multo crebrius Livius (cf. Kühnast l. c. p. 49) et argenteae q. d. aetatis auctores, omnium creberrime Tacitus substantivorum genetivos addiderunt adjectivis et pronominibus neutrius generis pro substantivis usurpatis. Quem usum tractavit Draegerus (h. S. § 199, 4, p. 417 sqq.), qui demonstrat, Ciceronem praeter „tantum", „quantum", „dimidium" solum numerum pluralem superlativorum (ut: belli extrema, summa pectoris), contra posteriores auctores inde a Livio et pluralem et singularem omnium graduum ita ponere nec non praepositiones eis conjungere, praeterea optimae temporis auctores solum genetivum partitivum adjectivis ita adjungere, contra posteriores etiam aliorum generum genetivos. Latissime hic usus patet apud Tacitum, posteriore tempore minuitur, quod ipsum quoque demonstratur a Draegero.

Sed Ammianus Tacitum illius usus frequentia aequiperat eoque minus hoc mirandum est, quod hic usus aliquo modo congruit cum Graeca dicendi consuetudine (cf. Krüger, Gr. Sprachl. 47, 10, 1), ex qua Ammianus, homo Graecus, multa in orationem suam transtulit.

De quo usu copiosius disserens Zernial (l. c. § 4) recte quatuor hujus genetivi genera discernit: genetivum relationis, possessivum, partitivum, materiae, quorum cujusque nonnulla exempla Tacitea afferam.

Genetivi relationis. ann. I, 62: cuncta Germanici. I, 7: cetera aulae.

Genetivi possessivi. ann. III, 49: Germanici suprema. hist. IV, 3: egregia rei publicae.

Genetivi partitivi, quem usum Zernial latissime dicit patere. ann. XIV, 53: medio temporis. IV, 6: aspera maris. I, 17: inculta montium.

Genetivi materiae. ann. XIII, 41: id virium. hist. II, 14: obscurum noctis (i. e. obscuritas). ann. III, 59: diverso terrarum. hist. III, 82: angusta et lubrica viarum. hist. V, 10: cuncta camporum.

In Ammiani quoque libris **genetivus partitivus** ceteris saepius adjectivis generis neutrius conjungitur. Cujusque generis exempla eo ordine afferam, ut ea, quibus praepositio voci conjuncta est, ultimum locum teneant. XV, 7, 10; XIX, 5, 5: noctis medio. XIX, 2, 5: exiguum noctis. XIX, 11, 4: hiemis durissimo. XV, 10, 4: anni verno. XVIII, 8, 7: editiora collis. XIV, 2, 6: hoste rupium abscisa volvente superne. XIX, 2, 10; 7, 8: ad extremum usque diei. 2, 5: usque diei ultimum. 10, 1: in orientis extimo. XX, 7, 17: in extremo Mesopotamiae. XVI, 11, 11: ad intima Galliarum. XX, 4, 10: ad orbis terrarum extrema. XIV, 6, 4: ad tranquilliora vitae discessit. XVII, 12, 16: ex intimis regni (Gardthausenus: regnis).



**Genetivi possessivi.** XIV, 6, 25: aurigarum equorumque praecipua vel delicta. XVI, 7, 4: ejus praecipua. 10, 14: decora urbis.

**Genetivo materiae** hi loci tribuendi mihi videntur: XV, 9, 8: scrutantes sublimia naturae pandere conabantur. XIV, 10, 14: Martis ambigua. XVII, 3, 1: dubia bellorum. XX, 11, 25: caespitis omnia. XXVII, 10, 7: cuncta satorum . . . flamma vastabat. XXV, 2, 3: obscuro noctis. XXVI, 9, 8: nemorum secreta et montium petebat. — XVI, 8, 6: in abrupto necessitatis. XXIV, 4, 8: per silvarum densa. XXVII, 2, 8: per aperta camporum sequebantur et mollia. 5, 4: per plana camporum errantes. 10, 12: quum ad rupium objecta venissent. XXXI, 9, 2: per montium celsa . . . redit.

3. De accusativo.

Verbalis q. d. accusativus adjectivorum in neutro genere ita positorum, ut adverbiorum locum teneant, frequentissime legitur apud poëtas, raro apud optimos pedestris orationis scriptores. Tamen non alienus est a Cicerone, Tacito (cf. Draeger. h. S. § 171, 2). Omnium creberrime hoc accusativo utitur Apulejus (Henricus Kretschmann: De latinitate L. Apulei Madaurensis. diss. inaug. Regimonti Pr. 1865 p. 60 extr., sq.), nec multo rarius Ammianus, qui consilio ea re poëtas videtur imitatus esse eandemque dicendi consuetudinem a patria lingua mutuari potuit. Omnes auctores Latini illum accusativum saepissime conjungunt cum verbis sonandi similibusque

et numero plurali adjectivorum multo rarius utuntur quam singulari. Atque ea in re Ammianus Latinum usum est secutus, quamquam in Graeca lingua pluralis numeri exempla sunt crebriora (ut *ὑψηλὰ ἅλλεσθαι, μεγάλα ὠφελεῖν*. Krüger, Sprchl. I, 2, § 46, 5, 4 sqq.)

In singulis Ammiani exemplis afferendis adiciam, qui potissimum auctores idem verbum accusativo verbali adjectivorum conjunxerint.

**Sonare**. XXV, 11, 13: argutum sonantes arundines. Cic., Lucr., Verg., Ov.

**Circumsonare**. XXVII, 10, 10: horrenda circumsonantibus Alamannis.

**Canere**. XVI, 12, 45: torvum canentibus classicis. Verg.; idem: torvum clamare.

**Occentare**. XXX, 5, 16: bubo occentans funebria.

**Concrepare**. XVI, 12, 27: torvum concrepantibus tubis.

**Ululare**. XVI, 11, 8: ululantes lugubre. Similiter XXVIII, 5, 6: XXV, 1, 18; XXVI, 6, 16. XIX, 11, 10: ululans ferum. XXXI, 12, 11: ululante barbara plebe ferum et triste. — Enn. ap. Fest. 177, 20: acuta ululare.

**Loqui**. XXIII, 6, 80: insanum loquentes et ferum. Hor.

**Strepere**. XXXI, 16, 6: subraucum et lugubre strepens.

Alia ac sonandi verba:

**Renidere**. XIV, 9, 6: torvum renidens. — Sil. (torvum ac furiale renidens) Tac. Apul.

**Subridere**. XXI, 9, 8: amarum subridens. — Pers. Apul. (met. 6, 13: subridens amarum.) ridere Hor.

**Cernere**. XXI, 16, 19: cernens acutum. Hor.

**Intueri**. XXIX, 5, 46: quem Theodosius intuens torvum. Tueri Lucr. Verg. (Aen. VI, 467: torva tuentem)

**Spirare**. XXXI, 7, 2: vesanum spirantibus barbaris.

**Frendere**. XVI, 12, 36: frendentes immania.

**Incedere**. XXII, 14, 3: grandia incedens. (Gell. IX, 11, 5: grandia ingrediens.)

In his exemplis quater modo nobis occurrit adjectivi numerus pluralis: frendentes immania, horrenda circumsonantibus, occentans funebria, grandia incedens. Conferantur hi loci: Cic. Arat. in nat. d. 2, 43: truculenta tuetur. Verg. Aen. 12, 398: acerba fremens; 6, 467: torva tuentem; alii loci.



Eidem huic accusativo verbali haud scio an subjungendum sit: XXIV, 5, 7: qua causa concitus immane (Julianus). — Contra meri adverbii locum tenet „segne.“ XXI, 10, 1: nihil . . . agendum segne ratus.

Saepe Ammianus, ut poëtae, verbis, quae motum significant, solum conjungit accusativum. Ita quum Ciceronem e terrarum nominibus solam vocem „Aegyptum“ ponere notum sit, Livius et Tacitus etiam aliarum quarundam terrarum aut gentium aut locorum nominibus propriis ita utuntur. Liv. VIII, 24: Epirum devecta. Tac. ann. XII, 51: Hiberos pervadit. hist. III, 84: Aventinum defertur. Uno loco Tacitus nomen appellativum in solo ponit accusativo: ann. XII, 13: campos propinquabant. Sed praepositionis prope analogia id effectum esse dicit Draegerus. — Ex prosae orationis auctoribus eo in usu longe omnes superat Apulejus, quem Kretschmannus (l. c. p. 130) et Draegerus (h. S. p. 365) hac in re poëticam licentiam immodice supergressum esse dicunt.

Ammianus ipse quoque nominum et propriorum et appellativorum solo accusativo ita utitur. XXIII, 2, 7: Mesopotamiam signa commovit. 3, 1: ducentes Persidem viae. XXVI, 7, 2: Valentem . . . avertit Galatiam. XXVII, 13, 34: destinatas remearunt sedes. XXVII, 8, 2: eadem loca profectus. XXX, 5, 1: regiones adventanti.

Graecus qui dicitur accusativus limitationis, poëtis usitatissimus, numquam usurpatur a Cicerone, Caesare, Sallustio, Nepote, Plinio minore, Gellio, Justino, scriptoribus hist. Aug., ut Draegerus docet (h. S. § 166). Contra non deest Livi elocutioni et saepissime legitur apud Tacitum, Apulejum, nec raro apud Ammianum, cujus hos contuli locos. XVIII, 8, 11: Verennianus femur sagitta confixus. XXIV, 6, 13: humerum sagitta praestrictus. XXV, 1, 2: infirmatus humerum telo. XXVI, 4, 3: tempora diademate redimitum. XXXI, 15, 13: confixi jaculis pectora. — Sed omnibus his locis ablativum instrumenti proxime adesse non est neglegendum, qui prohibuit, ne abla-

tivus limitationis sive „in“ cum ablativo conjunctum poneretur, ut apud Livium XXI, 7: femur tragula graviter ictus.

Uno loco accusativus limitationis adjectivo additur. XXXI, 16, 6: nudus omnia praeter pubem.

4. De dativo.

Jam a Cicerone dativus interdum verbis passivis pro praepositione a videtur adjungi, sed semper aliqua inest dativi ipsius sententia, neque invenitur nisi participiis aut compositis temporum formis additus. Cf. Madvig. Gramm. § 250 a; de fin. I, 4, 10. Contra Tacitum poëtarum usum sequentem re vera dativum pro praepositione a usurpare et alii censent et Nipperdeius, qui exempla collegit ad ann. II, 50.

Cf. Tac. Germ. 16: nullas Germanorum populis urbes habitari. ann. III, 20: donec desertus suis caderet. — Et a Livio ipso quoque id fieri demonstrat Kühnastius (l. c. p. 139). Cf. Liv. V, 6, 14: audiuntur militi. I, 23, 10: quaerentibus initur.

Idem usus, quippe qui congruat cum Graeco dicendi genere, invenitur apud Ammianum. XX, 4, 7: barbaris formidatos. XXIII, 6, 28: Parthis, quibus vincitur solis (natio). XXV, 4, 3: ut ne suspicione quidem tenus citerioris vitae ministris incusaretur. XXX, 8, 4: actus ... Graecis auctoribus celebratos. XXVIII, 1, 24: multa . . . omnibus timeri sunt coepta. XXVIII, 1, 43: (res) ministris velut apparitoribus gerebantur. XXXI, 11, 3: quo per fraudem Magnentiacis militibus capto.

Ita quae in universum ad nomina pertinent tractatis, casus dico, deinceps disserendum est de singulis nominum generibus, ac primum quidem

### de substantivis.

Omnis Ammiani oratio redundat substantivis abstractis. Quorum frequentiam ut in sermone Latino magis magisque auctam esse et ipsa hac re recentiorem latinitatem a priore dicendi genere maxime discrepare constat (cf. Hand, Lehrb. des lat. Stils[2], § 29), ita Ammiani elocutio hoc usu plane abhorret ab optimi sermonis simplicitate.

Ac primum quidem Ammianus saepissime non homines, sed animi motus aliasque, quae efficiunt aliquid, causas in



loco subjecti ponit, qui usus, etsi jam apud Livium, Tacitum, alios invenitur, tamen apud neminem tam frequens est, quam apud Ammianum.

Ex ingenti exemplorum multitudine pauca affero. XIV, 8, 13: castella, quae sollicitudo pervigil erexit. XIX, 8, 9: navem . . . quam . . . in eo tractu . . . diuturna consuetudo locarat. XXII, 4, 4: demensque superbia fidem suam probrosis quaestibus polluebat. XV, 6, 4. XVII, 8, 3, XXXI, 3, 1. XXV, 6, 14. XXVI, 1, 6. 2, 11. XXX, 8, 4. XXXI, 10, 6. 16, 3.

Saepe Ammianus substantivo abstracto utitur ad concreti notionem assequendam.

**Armatura.** XIV, 6, 17: proeliorum . . . rectores . . . opponunt leves armaturas. Singularem „levis armatura“ jam Cicero ponit metonymice, pluralem Livius (XXI, 55; XXII, 18).

**Commilitium.** XV, 8, 4: advocato omni commilitio, i. e. omnibus commilitonibus, quod alibi non videtur inveniri.

**Textrinum, ministerium, servitium.** XIV, 6, 17: juxta vehiculi frontem omne textrinum incedit, huic atratum coquinae adjungitur ministerium, dein totum promiscue servitium. — Servitium pro servis jam a Cicerone, ministerium pro ministris a Livio (IV, 8), Tacito (ann. XIII, 27), utroque Plinio, aliis ponitur: textrinum pro textoribus usurpatum alibi non inveni.

**Potestates.** Saepissime Ammianus „potestates“ ponit pro hominibus magistratus gerentibus, ut XIV, 10, 10: imperator . . . circumdatus potestatum coetu celsarum. Similiter XVI, 12, 4; XVII, 13, 25; XXVI, 1, 3; XXVIII, 6, 9; XXXI, 12, 5. — Jam Cic. de leg. II, 12, 31: a summis imperiis et a summis potestatibus . . . concilia . . . instituta.

**Aetas, dignitas.** XV, 8, 21: omnis aetas concurrebat et dignitas. XXX, 5, 14: jugulata aetate promiscua. „Omnis aetas“ jam apud Livium (XXVII, 51), Tacitum (ann. XIII, 16), Suetonium (Calig. IV) legitur. Dignitas hoc modo a nullo alio scriptore usurpari videtur.

**Vicinitas.** XV, 8, 21: proculque visum plebs universa

cum vicinitate finitima ... laudibus celebrabat. — Vicinitates, i. e. regiones vicinae: XVI, 8, 11: materia per vicinitates eorum late grassandi. — Verbo vicinitatis pro vicinis jam Sall. Cat. 37, Cic. pr. Rosc. Am. § 15, alii utuntur. Pro regionibus vicinis usurpatum alibi non inveni.

**Mortalitas.** XIV, 11, 26: (Nemesis) mortalitatis vinciens fastus. Similiter XIV, 11, 29. — Ita jam Plin. epp. II, 7, 5; Quintil. decl. 8, 16.

**Antiquitas.** XX, 6, 9: id monumentum opportune locavit antiquitas. Similiter XXVII, 4, 4; XXX, 4, 5; XXXI, 16, 7. Sed XXII, 4, 6: „cum scriptum sit antiquitatibus" et XVI, 7, 9 antiquitates sunt historiae antiquae, quod ipsum quoque est abstractum pro concreto. Illud jam apud Cic. de legg. 2, 11; Plin. h. n. XII, 19, 42 legitur. Antiquitates pro historiis antiquis Varronianus usus fuisse traditur.

**Vetustas.** XXXI, 5, 14: quod sobria vetustas nec ambitiosis mensis nec flagitiosis quaestibus inhiabat. Similiter XIV, 11, 26; XXX, 4, 2.

Ita pro illius aetatis hominibus Sil. It. I, 26: sic credidit alta vesustas.

**Virginitas.** XXXI, 8, 8: adulta virginitas... ore adsecto flens ultima ducebatur. — Similem locum nusquam inveni.

**Fortuna.** XXX, 5, 3: remissior erga majores fortunas, i. e. erga locupletiores. Ita etiam XVII, 5, 4; XXVI, 10, 9 „fortunae" significant fortunae cujusdam homines, qui usus apud solum Ammianum invenitur.

**Apex** pro homine in summo loco posito. XXIX, 2, 15: horret nunc reminisci, quo justitio humilitati tot rerum apices visebantur. Similiter XXX, 8, 10: dignitatum apices maximi. Hic usus Ammiani proprius videtur esse.

**Caritates** a solo Ammiano multis locis pro hominibus caris, i. e. cognatis usurpantur, ut XXVIII, 1, 3: peremptis caritatibus propriis; XVIII, 8, 14; XX, 4, 10; XXIV, 1, 9.

**Propinquitas.** XXIII, 5, 19: natio . . . cujus in gladiis nondum propinquitatis nostrae exaruit cruor. — Paulum diversus est unus Nepotis locus: Dion 1: Dion praeter nobilem propinquitatem multa alia a natura habuit bona.



Jam ea commemoravimus substantiva, quae, quum abstractorum habeant formam, significant homines. Transimus ad ea, quae pro concretis **rebus** sunt usurpata.

**Civitas** apud omnes scriptores Latinos pro concreto positum invenitur, sed ita ut cives significet. Contra apud Ammianum nomen civitatis saepe oppidum ipsum, aedificia et plateas, valet. Sic XIV, 6, 16: per latera civitatis cuncta discurrunt. XVIII, 8, 11: cinctus undique civitatem petebam. Similiter XXI, 12, 14; XXIX, 6, 18; XXXI, 11, 4; permultis aliis locis. Hic usus apud Quintilianum invenitur primum: XII, 9: expugnandae civitates.

**Summitas**, vocabulum recentiorum auctorum proprium, hoc loco commemorandum mihi videtur, quod in abstractorum substantivorum modum formatum est. Tamen nusquam aliam ac concretam habet vim, ut nomini verticis aequum sit. Illo vocabulo utuntur Plin. maj., Pallad., Macrob., Censorin., Arnob. (maj.), Ammianus.

Ammianei loci sunt hi:

XV, 10, 6: a summitate hujus clivi. Similiter XVI, 12, 19; XIX, 8, 8; XXVI, 1, 4. Summitates XXII, 15, 28: pyramides . . . in summitates acutissimas desinentes. Similiter XV, 11, 17; XVI, 10, 7; 10, 14; XXI, 10, 3.

Ut summitas ita quatuor haec similia vocabula ut concreta usurpantur, sed a solo Ammiano: celsitudo, altitudo, sublimitas, acclivitas.

**Celsitudo.** XXVII, 4, 6: partem (terrae) Aemimontanae celsitudines claudunt. XV, 10, 6; XXVI, 1, 1.

**Altitudo.** XXVII, 4, 14: montium circumcolunt altitudines.

**Sublimitas.** XXVII, 10, 12: in editas sublimitates erepsit.

**Acclivitas.** XVI, 10, 14: per acclivitates et planitiem posita urbis membra.

**Supremitas.** XXV, 1, 12: per supremitates narium angusti spiritus emittuntur. — Ita solus Ammianus.

**Rotunditas** pro spatio rotundo, orbe. XXII, 8, 6; XXIX, 1, 30: in ambitu rotunditatis extremo. — Ita concrete solus Ammianus verbo utitur.

**Solemnitas.** XXVII, 10, 2: invenit celebrari solemnitatem. Ita Gellius II, 24 et alii nonnulli recentiores scriptores.

**Securitas.** XVII, 10, 4 „securitates" significant apochas, quas qui accepit securus esse potest. Hic usus praeter Ammianum invenitur apud Ulpianum in Digg., Symmachum in epp.

**Uligo** pro loco uliginoso, palude. XXVII, 10, 11: per... palustres uligines tendens. Ita solus Ammianus.

**Tenebrae** pro locis tenebricosis. XIX, 5, 5: per has tenebras... adscenderunt. — Ita Sall. Jug. XIX, 15 et poëtae.

Sequitur, ut ea substantiva abstracta, quae a solo Ammiano pro concretis usurpata esse visa sunt, collecta repetamus.

Substantiva homines significantia: commilitium, textrinum, dignitas, virginitas, apex, caritates.

Substantiva res significantia: vicinitates, celsitudines, altitudines, sublimitates, acclivitates, supremitates, rotunditas, uligines.

Quam libenter Ammianus substantivis abstractis utatur, ea quoque re fit manifestum, quod persaepe, quibus locis substantivum concretum cum adjectivo junctum exspectatur, eam, quam adjectivum continet, i. e. attributivam notionem substantivo abstracto significat, concretam notionem, quae majoris momenti est, in genetivo ex illa pendente positam addit, quasi haec sit minor, illa gravior. Cf. XIV, 6, 23: „apud eos ... morborum acerbitates celsius dominantur" pro „acerbi morbi". XVIII, 2, 19: „pacem condicionum similitudine meruerunt" pro „similibus condicionibus". Accedit, ut abstracta illa substantiva permultis locis supervacanea et tantum ornamento esse appareat. Cf. XXIX, 6, 11: murorum partem . . . subversam adusque celsarum turrium minas expediit. XXX, 8, 6: ut Isocratis memorat pulchritudo.

Atque ipsa hac re multum interest inter Ammianeum et similem optimorum auctorum, ut Ciceronis, usum, qui nomine abstracto non utuntur, nisi attributivam notionem per se intellegi et majus quasi pondus habere volunt. Quod his perspiciatur exemplis. Cic. de or. III, 35: Aristoteles florere Isocratem nobilitate discipulorum videbat. Cic. Div. II, 72: superstitio hominum imbecillitatem occupavit. Cic. p. Rab. 3: non acerbitate suppliciorum, sed lenitate legum libertatem vestram munitam esse voluerunt. — Ammianei usus jam similius est hoc Livi exemplum: XXIV, 5: Vix quidem ulli regi facilis erat favor apud Syracusanos succedenti tantae caritati Hieronis.



Jam Ammianea exempla secundum formationis genera disposita afferam.

1) Substantiva in **tas** exeuntia:

acerbitas. XIV, 6, 23: apud eos . . . morborum acerbitates celsius dominantur.

asperitas. XVI, 7, 10: filiam nomine Drypetinam vexatam asperitate morborum. XXV, 3, 19.

assiduitas. XXVI, 1, 7: cum venisset accitus... somniorum assiduitate.

auctoritas. XXVII, 4, 2: ut Homeri perennis auctoritas docet.

castitas. XXXI, 8, 8: post quae adulta virginitas castitasque nuptarum ore adsecto flens ultima ducebatur.

crebritas. XIV, 11, 20: (. . .) jurandi crebritas. XVI, 12, 43; XXI, 5, 5; XXXI, 11, 1.

densitas. XVIII, 8, 9: cuneorum densitate perterriti. XIX, 2, 13; XXI, 12, 18; XXX, 9, 2.

diversitas. XIV, 6, 22: nec credi potest qua obsequiorum diversitate coluntur homines sine liberis Romae. XXIV, 15, 9; XXV, 6, 6; XXVI, 10, 12.

firmitas. XIV, 8, 13: murorum firmitas.

foeditas. XVIII, 4, 3: adsentandi nimia foeditas.

inanitas. XXVI, 2, 2: votorum inanitas.

infimitas. XVII, 13, 12: ad infimitatem obsequiorum venere servilium.

infinitas. XV, 1, 4: mundorum infinitates.

nimietas. XXII, 15, 13: gurgitum nimietate umectans. XXX, 6, 5.

opimitas. XVI, 11, 9: opimitate praedarum onusti. = XVII, 2, 1.
perplexitas. XVII, 8, 3: condicionum perplexitas.
satietas. XXIII, 6, 65: satietate frugum exuberat.
stabilitas. XXVI, 10, 16: concutitur omnis terreni stabilitas ponderis (i. e. concutitur omnis terra). XIX, 5, 7.
suavitas. XXIII, 6, 45: odorum suavitas.
varietas. XIV, 8, 3: dolorum varietati medentur; 8, 13: 9, 1; XVI, 12, 56; XVII, 1, 1; XVIII, 7, 8; XXI, 12, 4; XXIII, 1, 13; XXIV, 6, 6; XXIX, 5, 28; XXXI, 2, 6.
vastitas. XXVI, 10, 16: mare dispulsum retro fluctibus evolutis abscessit, ut . . . vallium vastitates et montium tunc . . . suspicerent radios solis.
vilitas. XVII, 13, 22: cum parentibus et natis atque conjugibus opumque vilitate.
viriditas. XXIV, 6, 3: in agro cupressorum viriditate laetissimo.

2) — **tudo.**

altitudo. XXIV, 4, 12: fossarum altitudines complanabant.
amplitudo. XXX, 4, 3: professionem oratorum forensium . . . adulationis partem esse definit amplitudo Platonis. XXXI, 8, 9.
celsitudo. XXIII, 6, 28: eis celsitudines imminent maximae montium.
claritudo. XXVII, 2, 10: redeunti post claritudinem recte gestorum.
firmitudo. XXIII, 6, 35: villas . . . nulla murorum firmitudine munitas.
fortitudo. XXX, 7, 2: Crotoniaten Milonem, cui māla nulla umquam virium fortitudo abstraxit.
longitudo. XXVIII, 2, 1: qua Galliarum extenditur longitudo. XXXI, 11, 1.
magnitudo. XVII, 13, 24: negotii duplicem magnitudinem imperator adgressus utramque perfecit. XXII, 13, 6; XXII, 16, 12; XXIII, 3, 3; XXIV, 3, 9; XXVI, 2, 1; XXVII, 9, 6; XXVII, 6, 1.
multitudo. XIV, 2, 15: cujus undarum multitudo adluit turres. XXI, 12, 6.



pulchritudo. XXX, 8, 6: ut Isocratis memorat pulchritudo.
similitudo. XVIII, 2, 19: pacem condicionum similitudine meruerunt.

3) — **us,** gen. ūs.

adflatus. XXIV, 4, 30: alios ignium adflatus immissus in perniciem coëgit.
aditus. XVII, 4, 2: urbem . . portarum centum aditibus celebrem.
casus. XXVII, 12, 12: post varios certaminum casus.
cursus. XXIV, 3, 7: confecto tantorum munerum cursu.
flatus. XVI, 10, 3: anhelante rabido flatu ventorum.
motus. XXI, 15, 1: motus certaminum civilium.
tumultus. XXV, 4, 23: novos bellorum tumultus ... concitasse.

4) — **um.**

divortium. XV, 4, 3: (Rhenus) . . alta divortia riparum adradens.
ingenium } XXIII, 6, 33: ad nemorosam quandam venerat
silentium } solitudinem, cujus tranquillis silentiis praecelsa Brachmannorum ingenia potiuntur.
solacium. XVI, 7, 9: virginem omni remediorum solacio plene curatam.
subsidium. XVI, 12, 52: ad subsidia fluminis petivere.
vinculum. XVIII, 5, 2: cum . . . omni vinculo caritatum.

5) — **or.**

fervor. XIX, 2, 12: ad fervorem similium proeliorum excitae . . . copiae.
fragor. XVI, 1, 1: Caesar . . . pugnarum fragores . . . somniabat = XX, 8, 5.
fulgor. XXI, 1, 4: diademate utebatur lapidum fulgore distincto.
horror. XXI, 2, 2: horrore medio noctis = XXV, 3, 23; XXVI, 10, 1.
rigor. XXI, 7, 1: rigore . . . instantium negotiorum anceps,

6) — **us.** gen. oris, eris.

decus. XVIII, 2, 17: stupebat armorum viriumque varium decus.
dedecus. XXIV, 3, 6: ad seditionum revoluti dedecora.

genus. XX, 6, 4: lapidibus telorumque genere omni arcebant. XX, 7, 15.
onus. XIV, 5, 3: injectus onere catenarum.
pondus. XX, 7, 12: denso saxorum molarium pondere . . . ire protinus vetabantur. XXVI, 6, 4; XXVII, 12, 12.

7) — **mentum**.

commentum. XXIX, 2, 8: quibus figurarum commentis splendida loca (sc. orationis) adtemptare debeat, praemonebat.
firmamentum. XXI, 5, 3: virtutis vestrae firmamento confisus.
fomentum. XX, 7, 12: saxorum . . . pondere fomentisque ignium.

8) — **men**.

culmen. XXXI, 15, 2: potestatum culmina maximarum.
discrimen. XXIII, 6, 22: post discrimina varia proeliorum. XXVII, 3, 12.

9) — **a**, gen. ae.

abundantia. XXIV, 3, 12: quorum ex fructu mellis conficitur abundantia.
aerumna. XXVII, 4, 4: post multiplices pugnarum aerumnas.
audacia. XXXI, 6, 3: eminens aliquorum audacia peribat inulta.
materia. XX, 9, 9: erat suspicio, quod novarum rerum materias excitaret.

10) — **es**, gen. ei.

acies. XXIV, 2, 19: ad molem . . . oculorum aciem conferentes.
fides. XXXI, 1, 1: eventus quos adventare praesagiorum fides clara monebat.
rabies. XXVIII, 2, 10: per Galliam latrociniorum rabies saeva scatebat.

11) — **es**, gen. is.

compages. XXIV, 4, 28: architectus . . . profudit animam, disjecta membrorum compage.
concaedes. XVII, 10, 6: obstante celsarum arborum concaede.
moles. XIV, 3, 5: gravi mole criminis pulsabatur. XXII, 11, 2; XVII, 3, 1; XX, 11, 11; XXI, 3, 3; XXI, 5, 1; XXV, 1, 18; XXVII, 10, 6.



12) — **ae**, gen. arum.

minae. XXIV, 2, 19: molem . . . superaturam celsarum turrium minas. XXIX, 6, 11.
minutiae. XXII, 15, 19: (avicula) . . . dum escarum minutias captat.
tenebrae. XXXI, 5, 11: tantis malorum tenebris.

13) **Varia**.

caligo. XXVI, 1, 12: Romani . , . errorum profunda caligine errabant. XXIX, 2, 18; XXXI, 13, 12.
circumitio. XXIV, 2, 2: munimentum . . . fluminis circumitione vallatum.
dulcedo. XVIII, 5, 3: cum omni penatum dulcedine.
robur. XIV, 2, 12: omne juventutis robur.
satias. XVIII, 2, 4: alimentorum . . . satias condita.
vertex. XIX, 1, 3: multiplici vertice dignitatum sublimis.

Sine dubio in Ammiani immodeste et effuse loquendi studio positum est, quod ad circuitus illos faciendos omnium creberrime usus est nominibus diversitatis, varietatis, molis, magnitudinis.

Huic quem modo exposuimus usui simillimum est, quod Ammianus interdum, ubi sustantivum concretum cum adjectivo conjunctum expectatur, hujus adjectivi sensum attributivum substantivo abstracto significat, cui adjectivum graviorem illam notionem exprimens adjungit.

XIV, 5, 1: exsulari maerore multavit, i. e.: tristi exilio. XIV, 5, 3: insulari solitudine damnabatur. XIV, 7, 8: non reclamante publico vigore. XV, 10, 1: Ob suggestus montium horrore nivali obductos. XVI, 5, 5: *σισύρα*, quam vulgaris simplicitas sisurnam appellat. XXI, 1, 13: vanities plebeja strepit XXIII, 6, 26: per arenosas angustias . . . aequoream multitudinem inundantes, i. e.: quae multos lacus efficiunt. XXVII, 12, 6: munimentum positum in asperitate montana.

Quoniam in Ammiani oratione tanta inest abstractorum substantivorum multitudo, non mirum videbitur, quod etiam plurali numero posita crebro inveniuntur, praesertim quum hic usus, qui nostrae linguae vehementer repugnat, jam in

optima latinitate frequens sit, quin etiam apud ipsum Ciceronem paene frequentissimus. (V. Zumpt. gramm. § 92; Draeger. h. S. § 2.)

Scriptorem nostrum ea nomina abstracta, quae pro concretis usurpat, plurali numero ponere memoratu vix est dignum. Inter ea, quae supra attuli, hujus usus exempla pluralis numeri erant haec: armaturae, potestates, vicinitates, antiquitates, fortunae, caritates, summitates, celsitudines, altitudines, sublimitates, acclivitates, supremitates, securitates, uligines.

Magis offendit eorum nominum numerus pluralis, quae non modo forma, sed etiam vi sunt abstracta. Sed maxima eorum pars jam apud optimos prosae orationis scriptores ita legitur usurpata, atque haec quidem primo affero.

necessitates (Cic. Caes. Liv. Tac.) XV, 8, 2; 8, 6; XVII, 9, 6.
acerbitates (Cic.) XIV, 6, 23; XX, 8, 17.
asperitates (Cic.) XXIV, 5, 12.
prosperitates (Cic.) XVII, 4, 6; XXIV, 6, 17.
utilitates (Cic. Tac.) XXI, 10, 5.
vicinitates (Cic.) XVI, 8, 11.
magnitudines (Cic.) XXIII, 5, 18; XXIV, 3, 9; XXVI, 2, 1.
cognitiones (Cic.) XXI, 1, 7.
cautiones (Cic.) XIV, 6, 23.
miseriae (Cic. Tac.) XIV, 1, 1.
irae (Liv. Tac.) XIV, 1, 10.
fortunae (Cic. Sall. Tac.) XXVI, 2, 4; XXVII, 2, 7; XXXI, 10, 7.
luctus (Liv. Tac.) XIX, 2, 8; XX, 7, 8.
mortes (Tac.) XIX, 2, 8; 7, 8; 5, 8; XX, 7, 13.
gloriae (Sall. Tac. Gell.) XXII, 12, 2; XXV, 3, 19.
obsequia (Planc. ap. Cic. Fam.) XIV, 6, 22.
morae (Cic. Plin. ep.) XIV, 10, 3; XVII, 2, 2.
commercia (Sall. Tac.) XIV, 8, 13.
pruinae (Cic. Poët.) XV, 10, 4; XVII, 2, 3; 8, 1.
frigora (Tac.) XV, 10, 5; XVII, 8, 1; XXV, 4, 10.

Ex poëtarum usu sumpta sunt haec pluralis numeri vocabula: flatus XIV, 6, 2; arenae XIV, 11, 34; venena XV,



3, 4; culturae (Lucr.) XXII, 15, 13; venatus XXIII, 4, 7; infortunia (Hor.) XIX, 7, 8. — Verbo „amplitudines“ — XXIII, 1, 10 — Gellius quoque utitur: „sudores“ praeter Ammianum XIV, 2, 4 usurpat Capitol. Maxim. 4. Contra solus Ammianus plurali numero posuisse videtur: „dubietates“ XXV, 10, 12.

## De adjectivis.

Graecum usum sequens Ammianus plurimus est in adjectivis et participiis pro substantivis ponendis eaque re etiam Tacitum superat, cui idem hoc est usitatissimum. Sed ut priores auctores in iis casibus, quorum forma genus non ostenditur, utendis parcior est quam in reliquis, praecipue nominativo et accusativo.

Ac primum quidem adjectivorum et participiorum masculini generis ita usurpatorum exempla afferam. Non repugnat hic usus optimorum scriptorum consuetudini, si quasi certi ordines hominum significantur, ut his locis:

XV, 2, 9: opulenti — tenues. XIV, 1, 6: egentium habitu. XV, 2, 5: a conspectu militarium, quod a Curtio primo substantive usurpatum esse docet Draegerus (h. S. p. 38). XV, 5, 8: bonorum omnium. 2, 1: omnibus bonis. XVI, 12, 18: summis infimisque.

Sed multo molestiora, praesertim si attributa adiciuntur, hujusmodi sunt exempla, quae casuum ordine disponam:

XIV, 8, 3: sospitales (h. e. medici). XIX, 2, 9: stantes proxime. 4, 7: in aridioribus locis agentes. XIV, 6, 23: noti (h. e. amici) hac aegritudine colligati. XXI, 12, 7: erecti in audaciam clausi (ubi clausi substantivi locum tenet). XV, 2, 6: ad hoc destinati. — 7, 3: obsequentium pars. 2, 2: insidiantium. 4, 12: peremptorum. XVII, 8, 3: praedictorum . . . opinantium. XXII, 8, 15: nulli (nom.) nunc conspicantium. — XV, 3, 3: insidiantibus multis (dat.). 10, 2: viantibus. 10, 4: venientibus. XVI, 2, 7: ingruentibus. — XV, 3, 6: praesentibus externis (abl.). 5, 28: ad consulatum elatis indignis. XVI, 2, 3: adsistentibus locorum peritis. XVIII, 1, 4: admissis volentibus... XIV, 9, 3: adhibitis aliis praedoctis. XV, 4, 10: cum commissis. XXI, 2, 2: territis praestantibus cunctis.

Ut jam optimi auctores adjectivorum et participiorum numerum singularem raro ponunt substantive, ita Ammianus. Usitatissimis vocabulis, ut „amicus, juvenis“, omissis modo haec sunt commemoranda: XV, 3, 4; 5, 8: rationalis i. e. tabularius, a rationibus. Ita vocabulo etiam scriptores hist. Aug. utuntur. XIV, 6, 7: victuro. 6, 8: spernentem. XXI, 1, 12: animantis altius quiescentis ocularis pupilla. XXIV, 4, 24: visus . . . formidandae vastitatis armatus.

Sed innumerabilia fere sunt adjectiva et participia neutrius generis pro substantivis usurpata. Hic usus, qui optimo tempore certis finibus erat coërcitus, praesertim quum iis formis fere solis uterentur scriptores, quibus ipsis genus neutrum potest videri, jam a Livio et Tacito magnopere est amplificatus. Livi exempla collecta inveniuntur in „speciminе grammaticae Livianae“, quod scripsit Dr. Krah (progr. Insterburg. 1859, 4°), cf. Kühnast. l. c. p. 48 sqq., Draeger. h. S. § 20 sqq. Tacitea exempla v. in Draegeri diss. Ueb. Stil cet. § 7.

Ex Ammianeis exemplis ea, quae cum substantivorum genetivis conjuncta sunt, supra attuli (p. 8, 9). Cetera qua lege disposuerim, re ipsa apparebit.

I. 1. Adjectivorum et participiorum in plurali positorum casus a ceteris generibus discrepantes.

Qui usus — nominativi et accusativi — quum nihil habeat memorabile, nonnullos locos eligere sit satis. 1, 6: cognita. 1, 8: utilia. XIV, 5, 4; XV, 5, 8: incidentia. XIV, 11, 26: exorsa. XV, 2, 9: emergentia. 4, 10: residua. XXI, 1, 8: accidentia — futura. 6, 1: antedicta.

Eidem casus cum attributis positi:

XIV, 1, 8: similia multa 2, 3: praerupta letalia. 7, 4: incitatum propositum ad nocendum. XV, 5, 23: tristia praecedentia. 5, 33: fortia facta. XVII, 11, 4: duo haec ludibriosa et irrita. XXI, 11, 1: ausa immania. XXVI, 7, 8: ausa ingentia (passive ut jam apud Verg. Ov. Tac. alios). XXXI, 10, 19: incidentia multa . . . et seria.

2. Pluralis numeri casus a ceteris generibus non discrepantes, quorum multo creberrime legitur genetivus.

XIV, 7, 21: impositorum vel compositorum fidem. XV, 1, 1: cognitio gestorum. 5, 38; 8, 14: ordo gestorum. 10, 14: concessio praeteritorum; utilium monitor. XV, 2, 10: ausorum particeps. XVI, 8, 5; XX, 3, 5; XXVII, 12, 7: spe potiorum. XVII, 3, 2: talium gnarus. 13, 1: obliti priorum. XXI, 7, 4: mandatorum principis memor. 12, 6: metu similium. XIV, 11, 26; XXII, 1, 1; XXIII, 1, 2; XXVI, 2, 8; XXX, 5, 13: accidentium. XXV, 4, 25; XXVIII, 6, 10; XXIX, 5, 8; 6, 16; XXX, 6, 1: praeteritorum. XXVII, 12, 1: fide pactorum. XIV, 9, 5: cogitatorum socius. 10, 9: delictorum veniam. XVI, 6, 3: objectorum probatio. XV, 5, 9: structorum fidem. XV, 3. 8; XVI, 12, 14; XXIX, 5, 3: ultimorum. XVI, 12, 18: gerendorum. XVII, 3, 2: talium. XIV, 11, 2; XXI, 12, 7; XXIV, 3, 8; 8, 5; XXX, 7, 9: meliorum. XVIII, 1, 2: XXX, 5, 5; justorum injustorumque. XVIII, 4, 1: justorum. XX, 8, 15; XXV, 4, 25: impendentium. XXI, 10, 2 venturorum. 16, 1: bonorum. XXII, 16, 24: coeptorum. XXIII, 2, 3: scriptorum. 3, 3: visorum. XXIII, 5, 24; XXVI, 8, 4: prosperorum. XXIII, 6, 56: gignentium. XXVI, 2, 10; XXVII, 10, 3: laetiorum. XVI, 3, 1: parium. 3, 6: necessariorum, — congruentium. 10, 16: profundorum. XXVII, 5, 6: extremorum. 10, 3: laetiorum. XXVIII, 3, 5: ausorum. XXXI, 7, 8: saeptorum.

Dativus: XIV, 1, 5: praescriptis legum. 11, 11: seriis. XVI, 10, 4: terrenis. XXVI, 1, 6: placitis.

Ablativus: XVI, 12, 29: his et similibus. XXI, 9, 2: paucis contentus et vilibus. XXII, 9, 1: prosperis. XXVIII, 2, 18: impetratis. XXXI, 5, 1: congruis.

Eidem casus attributis aut adjectivis participiisve praedicativis conjuncti:

Genet. XIV, 1, 3: fines mediocrium delictorum. XIV, 1, 6; XV, 8, 2: malorum impendentium.

Dat. XXII, 7, 7: quum corrigendis civilibus instaret. XXV, 2, 4; decretis caelestibus.

Ablat. XVI, 1, 2: multis factis fortibus. 1, 5: gestis ejus multis et miris. 1, 5: multis obnubilantibus. 4, 3: malis obsidionalibus. XX, 6, 1: usui congruis omnibus. XXII, 1, 1;

responsis ambiguis et obscuris. XV, 5, 8: oblatis scriptis. XXI, 12, 15: omnibus congruentibus abundabant.

Ablativi absoluti sunt hi: 12, 67: his tot ac talibus peractis. XXIV, 5, 12: multis victui congruis distributis. XVI, 10, 17: multis visis. XVII, 7, 4: reclangentibus cunctis. 9, 1: cunctis ex voto currentibus. XX, 6, 2: cunctis praestructis. XXXI, 8, 1: cunctis utilibus...comportatis. XXV, 4, 16: digestis bonis. 7, 4: absumptis omnibus utilibus.

II. Adjectiva et participia neutrius generis in singulari posita pro substantivis.

1. Nominativus et accusativus.

XIV, 1, 1; XXII, 11, 5: grave incentivum. XV, 5, 23: hoc bonum. XVI, 2, 11: praecipuum bonum. XIV, 11, 6: cruentum. XVI, 2, 16: omne conferentes. XXII, 4, 16: faustum. XIV, 11, 6: cruentum. XXIV, 4, 25: ultimum flentes. XIV, 7, 4: incitatum propositum.

2. Reliqui casus.

Genet. XIV, 7, 21: veri consideratione. XXI, 12, 10: summa coepti prudentis. XXII, 16, 19: intellegendi diviniaditionem.

Ablat. XIV, 1, 4: nullo sibi relicto. XVII, 5, 15: nullo impetrato. XX, 8, 19: nullo suppresso (Hoc ablativo „nullo“ generis neutrius primi substantive utuntur Quintilianus, uterque Seneca, uno loco Tacitus; cf. Draeger. üb. Stil cet. § 7). XVI, 6, 1: hoc ut parvo. XVII, 11, 4: regiae majestatis insigni. XX, 7, 18: omisso vano incepto. XV, 4, 7: malo repentino.

Venimus ad adjectiva et participia neutr. gen cum praepositionibus juncta.

1) Pluralis numeri.

XIV, 1, 3: **inter** humilia. 2, 6: inter arta et avia. XXI, 6, 9: inter tot urgentia. XXIV, 3, 8: inter secunda et aspera. XXX, 7, 4: inter probra et praecipua. XIV, 1, 10: **ad** vertenda opposita. XIV, 10, 11: ad placidiora. XV, 8, 3; XVII, 13, 2: ad longinqua. 10, 11: ad restantia. XXI, 1, 14: ad explicanda prospecta. XXII, 9, 2: ad expedienda incidentia. XXIV, 3, 3: ad paria facienda. XXV, 3, 2: ad speculanda interiora. 3, 18: ad tranquilliora. XXVI, 6, 3: ad regenda



communia. XXVIII, 6, 28: ad remota et abdita. XXIX, 2, 23: ad agenda sperandaque similia. 3, 6: ad potiora. XVI, 11, 10: ad ulteriora. XVII, 1, 5: ad celsiora. XVI, 12, 3: ad maiora. XVIII, 7, 3: ad tutiora. XXI, 4, 8: ad remotiora. XXII, 15, 9: ad secretiora. XIX, 8, 1: ad potiunda sperata. XXI, 1, 3: ad multa et urgentia. XXIV, 1, 10: ad agenda similia.

XIV, 2, 2: **per** ancoralia. 2, 8; XXIX, 6, 9: per omnia propinqua. XIV, 4, 3; XVI, 2, 2; XXIV, 7, 6; XXVII, 8, 5: per diversa. XIX, 8, 11; XXI, 8, 3: XXIV, 4, 9; XXVII, 2, 4; XXX, 6, 4; XXXI, 5, 9: per varia. XVI, 11, 9: per brevia. XIX, 8, 1: per ardua. XXII, 16, 22: per sublimia. XXXIII, 6, 7: per longinqua. XXIV, 1, 6: per opportuna. XXVII, 9, 6: per vicina. 10, 11: per ignota — per obliqua.

XV, 2, 3: **contra** accidentia. XXIV, 4, 19: contra sperata.

XXIII, 6, 4: **post** finitima cuncta subacta.

XIX, 7, 5: **in** humiliora. XXI, 1, 1: in futura.

XXV, 10, 3: in sublimiora. XXVIII, 4, 3: in molliora.

XIV, 10, 16: **in** malis civilibus. XVI, 12, 61: in secundis . . . in adversis. XVII, 1, 5: in suis. XVIII, 5, 8: in multis ac necessariis. XXII, 12, 5: in praeparandis congruis. XXIII, 5, 11: in parum cognitis. XXV, 8, 12: in longinquis. XXVI, 4, 4: in inquirendis, in componendis.

XIV, 11, 13: **de** futuris incertus. XVII, 4, 1: de futuris. XVI, 12, 27; XXIV, 1, 13: de obscuris.

XV, 5, 16: **ex** praesentibus. XVII, 3, 2: ex conquisitis. XXI, 1, 3: ex praeteritis. XXX, 8, 12: ex incidentibus.

XXVII, 10, 2: **pro** illatis. XIV, 2, 9: pro veris.

XVI, 2, 5: **prae** cunctis.

2) Singularis numeri.

XIX, 6, 12: **ad** praesens.

XX, 7, 10: **per** proclive.

XVII, 6, 1; 10, 2; XIX, 3, 8: **praeter** solitum (Hor. Verg.).

XVI, 11, 3: 12, 37; XXX, 2, 7: **ultra** solitum.

XVI, 2, 8; 10, 5; 12, 1: XVII, 10, 2; 8, 1; XX, 8, 8: **in** unum. XVI, 4, 1: 12, 16; XX, 4, 2; XVII, 3, 9; XXX,

9, 1: in majus. XVII, 11, 1: in deridiculum. XXIII, 6, 2: in melius. XIX, 2, 3: in arduum. XIX, 7, 4; XXI, 2, 1: in vanum. XX, 11, 3: in sublime. 11, 20: in longum. XXI, 5, 7; XXIX, 6, 3: in commune.

XIV, 7, 4: **in** tuto. 7, 15: in proximo. XVII, 12, 21: in barbarico. XVIII, 5, 7: in medio. 8, 11: in arduo.

XIV, 1, 7: in penetrali secreto.

XXIX, 5, 13: **e** propinquo (Liv.). XV, 2, 10: ex confesso.

---

Draegerus (h. S. § 159) quaestione de adjectivo praedicativo habita demonstrat Ciceronem non ita saepe adjectivis praedicativis uti pro adverbiis praedicato adnexis, multo largiorem esse in hoc usu Livium nec multo hoc parciorem Tacitum. Quorum exemplum imitatus est Ammianus. Ac primum quidem ea afferemus adjectivorum exempla, quae jam apud priores scriptores inveniuntur.

XVI, 2, 1: rumores, qui volitabant assidui (Cic.). XVIII, 2, 12: decurrere jubentur taciti (Liv.). XVIII, 2, 1: invaderet repentinus; XIX, 9, 6: digresso advena repentino; XIV, 5, 6: sese repentinus infudit (Tac.; repens Liv.). XVIII, 2, 15: grassabatur intrepidus (Tac.).

Contra Ammiani propria videntur haec exempla:

XVI, 9, 3: suorum sanguine fuso multiplici (frequens Cic. Liv. Tac.). XVII, 12, 11: jussi obtinere impavidi (intrepidus v. s.; pavidus, trepidus Liv.). XIX, 11, 9: stabant incurvi. XIV, 3, 4: dux . . . tabescebat immobilis. XXIX, 6, 9: stando immobilis — de quo loco v. infra pag. 48.

De accusativo adjectivorum in genere neutro pro adverbiis posito verbisque conjuncto disseruimus s. acc. verb. pag. 9 sq.

Transeamus ad ea, quae in comparationis graduum usu Ammianeo sunt commemoranda.

Ut jam apud Livium et Tacitum interdum „magis" aut „potius" ante particulam „quam" deest (Cf. Zumpt. § 690 adnot., Kühnast. l. c. p. 174), ita apud Ammianum, sed multo saepius.



XVI, 12, 36: properantes cito quam considerato gradu Germani. XVII, 12, 19: obsequi defensoribus . . . optabile, quam servire suis mancipiis, arbitrati. XX, 4, 8: gloriosum esse existimans jussa morte oppetere, quam ei provinciarum interitum adsignari. XX, 7, 18: multis acceptis vulneribus quam illatis. XXV, 7, 4: miles . . . ferro properans quam fame . . . absumi. XXVI, 4, 1: quasi tota consilia quam sibi placentia secuturus. XXVII, 3, 4: libenter se vino proprio calcarias exstincturum, quam id venditurum pretiis, quibus sperabatur. XXX, 2, 4: imperator eligere consilia quam invenire sufficiens.

Superlativus pro positivo particulas „ita, adeo" sequitur: XXV, 4, 9: constat eum in . . . insidiatores suos ita concurrexisse mitissime, ut . . . XXVII, 10, 11: cui adeo proximus fuit, ut . . .

Similiter offendimus comparativo adverbio „ita" addito: XXVIII, 4, 5: ita effrenatius exarserunt, ut . . . XXX, 8, 3: ita erat effusior ad nocendum, ut . . .

Interdum Ammianus duos dicendi modos permiscens post comparativum et superlativum praepositiones „ante" et „praeter" usurpat, quum aut comparativus cum particula „quam" et superlativus cum genetivo partitivo aut positivus cum illis praepositionibus desideretur. Praepositio „ante" jam prioris latinitatis locis nonnullis comparativo aut superlativo ita conjuncta invenitur, velut Verg. Aen. I, 347: scelere ante alios immanior omnis. Liv. V, 42: ante alios miserandi magis; Plaut. Asin. 5, 2, 8: scito illum ante omnes minimi mortalem preti; Nep. Att. 3, 3: ante alios carissimus; Liv. I, 15: longe ante alios acceptissimus militum animis. Quem usum uti imitaretur eo magis adducebatur Ammianus, quod Graeca quoque lingua praepositiones *πρό* et *ἀντί* comparativo adduntur. cf. Krüger, Sprchl. § 49, 2, 7.

XVI, 12, 23: Chnodomarius et Serapio potestate excelsiores ante alios reges. XIX, 2, 3: ante alios celsior ipse. XXIII, 6, 25: potiores ante alios omnes. XXII, 12, 5: majoris praeter ceteros spiritus. XXIII, 6, 68: praeter alios frugalissimi.

Similis pleonasmus est XXVI, 2, 5: quod . . . magis prae cunctis extimescens

Libentissime Ammianus ad levandam orationis severitatem pro adjectivorum et adverbiorum positivo utitur comparativo, qui eam ob rem tam creber est, ut fere sit molestus. Ex innumerabili fere multitudine aliquot affero exempla:

XXII, 9, 9: acrius in calumniatores exsurgens. 16, 21: colens secretius deos. XXIII, 1, 3: elemento destinatius repellente. 2, 4: loquebatur asperius. 5, 18: voluntas ad altiora propensior. 6, 53: ut Homerus fabulosius canit. XXIV, 2, 1: incolae tentati mollius. 4, 1: placida ope numinis erectior. 5, 6: paullo avidius repertus. XXV, 2, 3: vidit squalidius: vidit speciem ... tristius discedentem. XXV, 10, 15: perpensius judices electurus. XXVI, 5, 1: acta tranquillius hieme. XXVII, 6, 15: oculorum flagrantior lux. 10, 7: miles irritatior ad pugnandum. (Comparativum „irritatior" Ammianum a Gellio sumpsisse demonstrat Hertzius, A. Gellius etc. p. 280). XXVIII, 4, 5: ita effrenatius exarserunt, ut . . . XXX, 8, 3: ita erat effusior ad nocendum, ut . . . (v. p. 29 med.)

## De pronominibus.

Apud omnium temporum scriptores inveniuntur loci, quibus in oratione obliqua pronomen „is" usurpatum sit pro pronomine reflexivo, qui usus frequentissimus est apud Caesarem in commentarr. de b. G. et Livium (cf. Draeger. h. S. § 29, b; Kühnast. l. c. p. 105 sqq.). Quod Ammianus eadem licentia usus est, eo minus mirum videtur, quod cum Graeca dicendi consuetudine congruit. XIV, 7, 7: (Serenianus est) convictus . . . familiarem suum misisse quaeritatum . . . an **ei** firmum portenderetur imperium. 11, 7: ad hoc unum mentem sollicitam dirigebat, quod Constantius . . . laqueos **ei** latenter obtendens, si cepisset incautum, morte multaret. 11, 15: comperit Thebaeas legiones . . . misisse quosdam, **eum** ... ut remaneret hortaturos. XX, 4, 8: gloriosum esse existimans jussa morte oppetere, quam **ei** provinciarum interitum adsignari. XXII, 1, 2: exclamavit . . . cecidisse. qui **eum** ad culmen extulerat celsum (pro: extulisset. — „tulerat celsum" additum ex editione Gelenii). XXI, 7, 2: veritus, ne Africa absente **eo** perrumperetur. XXII, 7, 5: duo agentes in rebus eum adiere fidentius promittentes latebras monstrare Florentii, si **eis** gradus militiae redderetur.



Probabilius etiam ea re Ammianum usum Graecum secutum esse putabimus, quod conjuncto q. d. participio in casu obliquo posito pronomen „is" adjungit pro reflexivo, etsi ad subjectum respicit, quasi participium separatam efficiat enuntiationem.

XXVI, 10, 4: Philippopolim . . . reserare conabatur, urbem ... impedituram **ejus** adpetitus. XXIX, 5, 8: veniam... poscebat . . . scriptis docentibus, **eum** non sponte sua ad id erupisse.

Contra nonnullis locis pronomen reflexivum invenitur pro demonstrativo „is", quod item optimorum auctorum orationi non deest (cf. Draeger. h. S. § 30). XX, 9, 8: **ut sibi** utile videbatur. XXII, 1, 2: lapso milite. qui **se** (i. e. Julianum) insessurum equo dextra manu erexit . . . exclamavit . . . cecidisse ... (v. s.). XXIX, 1, 19: adulescebat autem obstinatum ejus propositum, admovente stimulos avaritia et **sua** et eorum, qui . . .

Ex usu Graeco sumptum esse mihi videtur, quod Ammianus nonnullis locis pro possessivo reflexivo genetivum pronominis personalis reflexivi ponit. XV, 7, 6: plurimorum sui consortium (i. e. collegarum). XXX, 10, 6: absque sui permissu. XX, 9, 8: dextrum sui latus. — E quibus exemplis primum non sola ea analogia potest expediri, quod „consors" adjectivorum relativorum habet vim.

Pronomen „nullus" aut pluralis „nulli" saepe substantive pro „nemo" usurpatur. XIV, 7, 5: adsidue replicando, quod nullus egere poterit victu. XVI, 12, 16: sed nullus mutatam rationem temporis advertebat. XVII, 1, 11: dum nullus obsisteret. XXVI, 1, 5: nullus tenuit gubernacula. XXX, 8, 9: ut nullus egens repperiretur, qui ... XXXI, 13, 12: nullus fugatorum vel accolarum.

Pluralis: XXII, 8, 15: nulli conspicantium. XXVII, 5, 2; 12, 8: resistentibus nullis.

Pronomen „ullus" substantive pro „quisquam" his locis positum est:

XIV, 2, 2: ne cedentium quidem ulli parcendo. XXIX, 3, 2: nec meliora monente ullo nec retentante.

## De praepositionibus.

1. Per.

Late patet apud Ammianum praepositionis per usus, cujus — sit venia verbis — et localem et instrumentalem modalemve vim scriptor ultra eos, quos in optima latinitate habuerat, fines extendit. Nam substantivis locum aliquem vel spatium significantibus auctor praepositionem per libenter et prioribus auctoribus multo saepius ita adjungit, ut, quamquam diffundendi quaedam sententia etiam inest, tamen jam appropinquet ad solam praepositionis „in" ablativo junctae vim, quod haud scio an Graecae praepositionis κατά exemplo sit effectum. XIV, 3, 1: eo adducta re per Isauriam. XV, 9, 8: per haec loca . . . viguere studia doctrinarum. XVI, 1, 2: res, quas per Gallias virtute felicitateque correxit. 6, 1: haec per Gallias agebantur. XVII, 5, 1: cum universa per Gallias studio cautiore disponerentur. XVI, 3, 1: per quos tractus nec civitas ulla visitur nec castellum. — Memorabilius est, quod accusativo ex adjectivo „longus" pendenti praepositio per conjungitur. XV, 4, 2: lacum . . . per quadringenta et sexaginta stadia longum.

Translatum „per" apud optimae latinitatis auctores significat, qua via aliquo veniatur. Sed jam inde a Livio interdum synonymum est soli ablativo instrumenti (v. Draeger. h. S. § 272). In Ammiani autem elocutione nihil jam interest inter praepositionem per et ablativum instr. Comparari potest Graecum διά. Ex ingenti exemplorum multitudine affero haec: XIX, 2, 12: signo per lituos dato. 7, 7: per ferreas fundas. 8, 5: postica, per quam nihil servabatur. 8, 9: ripam petituri per navem. XX, 6, 3: signo per flammeum erecto vexillum. XXVI, 7, 8: per haec et similia factio . . . composita. 9, 11: per morum tristium latebras similis Crassi. XXVII, 10, 13: quos . . . per fremitus territos. 11, 2: per cruentas noxius simultates.



Praeterea innumerabilibus fere locis „per" modalem, ut ita dicam, habet vim, nec tamen discrepat a priorum, praesertim Livi et Taciti usu, velut: XIV, 11, 2: per simulationem tractatus publici. XV, 2, 4: per illecebras. XXI, 1, 3: ne per amicitias fictas insidiis falleretur occultis. XXI, 11, 2: per speciem (Liv.) necessitatum urgentium. XXVIII, 5, 15: per hanc occasionem (Liv.).

Ad praepositionis „propter" significationem proxime accedit „per" XV, 3, 1: vivendi moras per aerumnas detestati multiplices. Utriusque praepositionis vim Graecum διά continere fortasse monendum est.

2. Prope.

Praepositio „prope", si cum accusativo juncta de spatio dicitur, plerumque statum, non motum significat. Verbis, quae motus notionem continent, tum modo additur, si μεταφορικῶς de similitudine usurpatur. Ita Liv. XXVI, 48, 8: contentio quum prope seditionem veniret. Cf. Zumptii gr. § 302, Handii Turs. s. v. Tamen apud Livium nonnullis locis comparativus „propius" et accusativo et verbo motum significanti adnexus legitur, ut XXIII, 26, 3: castra propius hostem movit. XXIV, 41, 4. Multo saepius adverbium „prope" cum praepositione „ad" conjunctum est. — Contra apud Ammianum ille usus creberrimus est, quod haec demonstrent exempla: XIV, 2, 11: venere prope oppidum. XVI, 12, 19: prope collem advenit. XXV, 6, 7: prope tabernaculum advenire. XVIII, 6, 4: prope Leptim accedere. Similiter XVI, 12, 27; XVII, 1, 8; XVIII, 2, 8; XX, 7, 2; XXI, 3, 3; XXIV, 1, 5.

3. Ex.

Ex cum ablativo vocabuli magistratum aliquem significantis conjunctum significat eum, qui aliquo munere abiit aut perfunctus est, qui usus recentissimorum auctorum est proprius (cf. Hand. Turs. II, 650). Ammiano hoc est usitatissimum. XIV, 7, 7: Serenianus ex duce. 10, 2: Hermogenis ex magistro equitum filius. XIX, 12, 9: Simplicius ex praefecto et

consule. XXVII, 7, 5: mors Dioclis ex comite largitionum Illyrici. Permultis aliis locis.

Non de munere sed de aetate ita dici videtur XVI, 7, 5: quem si Constans imperator . . . ex adulto [lacuna XIV litterarum] jamque maturum audiret honesta suadentem et recta, nulla vel venia certe digna peccasset. Sed propter lacunam de hoc loco certo non potest existimari.

4. Super.

Super pro de usurpatum, quod raro aurea, crebrius inde ab argentea aetate invenitur, usitatissimum est Ammiano. XIV, 7, 12: quod super adimenda vita conveniet securius cogitari. XV, 9, 2: ambigentes super origine Gallorum scriptores. Similiter XVI, 7, 4; XIX, 1, 6; XVIII, 3, 1; XXI, 4, 5; XXII, 3, 4; XXIII, 6, 32; XXIV, 8, 2; XXV, 3, 20; permultis aliis locis.

Praepositio „super“ cum ablativo „his“ juncta nonnullis locis idem quod „praeter“ significat, cujus usus in priore latinitate duo modo exempla exstant (cf. Draeger. h. S. § 300, B 2): Sall. frgm. inc. 28: casu super. Hor. sat. II, 6, 3: super his. Apud Ammianum „super his“ pro „super haec“, „praeterea“ invenitur his locis. XIV, 7, 4: accenderat super his . . . propositum . . . mulier. XXI, 1, 11: multa significant super his crepitus vocum. XXI, 16, 17: erat super his adimere facilis quae donabat. XXXI, 13, 11: super his obstruebant itinera . . . semineces. 14, 3: super his omnibus liberalis erat cum moderatione.

Pro „praeter hos“ positum est:

XXII, 3, 12. Eusebium super his . . . addixere poenae letali. XXV, 3, 13: obstupescat proelia XX Marcelli: Sicinium Dentatum adiciat . . . miretur super his Sergium.

5. Erga.

Rarissime in optima, saepius in argentea q. d. latinitate, multo omnium creberrime apud Tacitum praepositioni „erga“ generalis cujusdam et minus definitae ad personam aliquam sive rem relationis vis indita invenitur, qua efficitur ut vel „contra“ praepositionis significationem interdum videatur aequiperare. Cf. Draeger. h. S. § 263.



Ammianum hunc usum imitatum esse ex his apparebit exemplis. XIV, 1, 8: adulescebat autem obstinatum propositum erga haec . . . et similia multa scrutanda. XV, 3, 2: principem erga haec et similia palam obstinatum et gravem. XVI, 10, 17: fama . . . augens omnia semper in majus erga haec explicanda, quae Romae sunt, obsolescit. XXI, 16, 1: erga tribuendas celsiores dignitates impendio parcus.

## De conjunctionibus.

1. Et pro etiam usurpatum, quod deest in Caesaris elocutione, raro invenitur apud Sallustium, saepius apud Ciceronem exceptis orationibus, usitatum est Livio et argenteae aetatis scriptoribus (cf. Draeg. h. S. § 312), praecipue Tacito, nec minus Ammiano Marcellino. XIV, 2, 1: namque et Isauri ad bella gravia proruperunt. XV, 2, 10: perductus est iisdem diebus et Gorgonius. XVI, 12, 49: inter quos decernebant et reges. XVII, 12, 3: trahentes singulos, interdum et binos. Similiter XIV, 2, 5. XXII, 10, 4. XXIII, 6, 16. XXVI, 7, 10. XXX, 8, 1.

2. Huic usui aliquo modo is respondet, quod interdum nec ponitur pro ne quidem. Quod quum rarissimum sit in Ciceronis libris, quin etiam a Madvigio ad Cic. de fin. p. 822 sqq. omnibus locis Ciceronianis reiciatur, saepius legitur apud Livium et argenteae aetatis scriptores (cf. Draeg. h. S. § 318, 8). Sed Ammiani duobus tantum locis inveni. XIV, 10, 3: miles . . . hoc irritatior, quod nec subsidia vivendi suppeterent. XXVII, 2, 6: ad tristes exitus eiusque negotium venerat, ut nec acta nuntiaturus quisquam posset superesse nostrorum. — Cum hoc conjunctionum „et“ et „nec“ usu Graecum καί et οὐδέ comparanda sunt.

3. Et supervacaneum est duobus locis, quibus id, de quo paullo ante praemonitum est, illa particula incipitur. XIV, 11, 4: tandem id ut optimum factu elegit: et Ursicinum ad se venire . . . mandavit. XVI, 7, 11; adjungit his aliud . . . maturandum: et electi quidam . . . ad Illyricum missi sunt.

De simili usu Taciteo v. Nipperd. ad ann. XI, 35.

4. „Quamdiu“ neglecta ea, quae e verbi compositione ema-

nat, sententia non spatium, sed punctum temporis significat, ut pro „dum" i. e. „usque ad id temporis punctum quo" usurpatum sit. XXV, 3, 12: cadentium gemitus, equorum flatus, tinnitus ferri procul audiebatur, quamdiu . . . nox diremit certamina. XXVI, 10, 14: nec modus ullus exitialibus malis impositus, quamdiu principem et proximos opum satietas cepit et caedis.

Idem apud unum eumque recentissimum scriptorem inveniri videtur: Lampridium (Elag. 29).

5. Licet. Verbi „licet" adjectivis aut participiis juncti Lachmannus (ad Propert. III, 30, 74) pauca poëtarum affert exempla. — Sed in Ammiani libris „licet" et cum adjectivis et cum participiis positum legitur creberrime. XIV, 1, 5: nec vox accusatoris ulla, licet subditicii, in his malorum quaerebatur acervis. XV, 1, 2: cujus nutu . . . licet diversis temporibus duo exauctorati sunt principes. 3, 11: sub . . . aliqua spe licet incerta. XVI, 4, 4: providebat . . . ut militum diuturno labori quies succederet aliqua licet brevis. XIX, 6, 8: audito licet levi sonitu. 8, 5: licet iniqua reluctante fortuna. XXI, 3, 3: milites licet numero impares. — Similiter: XXI, 5, 11. XXV, 8, 6. XXVI, 6, 9. XXVII, 2, 5. XXIX, 5, 37. XXXI, 7, 9.

Licet cum participiis conjunctum:

XIV, 11, 24: eum licet nocentem blandius palpantes. XV, 7, 3: ut eum obsequentium pars desereret, licet in periculum festinantem abruptum. XVI, 11, 9: per eas (lintres) licet vacillantes erecti. XX, 7, 9: suspicio licet adseveratione vulgata.

Similiter XXII, 9, 12. XXVI, 10, 11. XXIX, 5, 34. XXX, 10, 6.

Licet cum locutione adverbiali:

XXV, 3, 8: licet in negotio dispari. XXXI, 11, 4: agnitus tamen licet sero Sebastianus.

6. An.

Commemorare vix opus est Ammianum ut omnes inde ab argentea aetate scriptores conjunctione „an" simplicem interrogationem indirectam incipere. XIV, 6, 14: anxia



deliberatione tractatur, an . . . peregrinum invitari conveniet. 7, 7: quaeritatum . . . an ei firmum portenderetur imperium. Similiter XIV, 7, 19; XV, 7, 4: XXIX, 1, 20; 1, 33; 1, 40; 5, 26.

---

Quum reliquum sit, ut **verba** tractemus, deinceps de modorum, participii, gerundii, infinitivi, temporum usu disseremus.

## De modorum usu.

### 1. De indicativo.

Graecum usum sequentes Livius, Tacitus, Justinus, saepissime Ammianus in enuntiatis minoribus orationis obliquae indicativum ponunt pro conjunctivo, etiamsi ex loquentis, non scribentis sensu ea emanare intellegendum est. Exempla Liviana v. Kühnast l. c. p. 235 sq. Multo tamen magis memorabiles sunt loci Tacitei, quos Draegerus (üb. Syntax u. Stil etc. § 151) affert.

Exemplo sint hi: ann. III, 6: proin repeterent solemnia, et quia ludorum Megalensium spectaculum suberat, etiam voluptates resumerent. III, 69: non quidem sibi ignara quae de Silano vulgabantur.

Ammianus ejus modi locis jam sine discrimine modo indicativo, modo conjunctivo utitur.

XIV, 11, 11: saepius replicando, quod . . . cum videre frater cuperet patruelis, si quid per imprudentiam gestum **est**, remissurus. XV, 1, 2: virtutem felicitatemque imperatoris extollebant in caelum, cujus nutu . . . duo exauctorati **sunt** principes. 5, 6: petebat, ut . . . juberetur ire ducturus Silvanum, adgredi nihil tale conatum, quale insidiatores . . . **concitarunt**. XV, 5, 17: perfertur Mediolanum . . . nuntius, aperte Silvanum demonstrans, dum ex magisterio peditum altius **nititur**, . . . ad Augustum culmen evectum. XX, 9, 4: eum, si saluti suae proximorumque **consulit** . . . intra Caesaris se potestatem continere praecipiens. XVII, 12, 14: Arahario . . . firmante pacem, quam ipse **meruit**, ei quoque

debere proficere. XX, 2, 3: quibus . . . veritis, ne offenderetur Eusebius, si documenta accepissent . . . demonstrantia, Sabiniani ignavia haec accidisse, quae **contigerunt**. XXII, 1, 2: exclamavit, cecidisse, qui eum (pro: se, v. s. p. 31 init.) ad culmen extulerat celsum. XXI, 7, 3: hunc . . . cuncta consideratione gemina efficere posse sperabat: quod adversam partem **metueret** offensam et **properabit** commendari Constantio. XXVIII, 6, 19: relaturum se cuncta, quae **viderat**, minabatur.

Similia inveniuntur XXI, 14, 3. 16, 14. XXII, 1, 2. XXIV, 4, 9. 4, 22. XXV, 5, 8. 7, 6. 9, 3. XXVI, 5, 12. 10, 12, XXVII, 12, 16. 12, 18. 6, 19. XXIX, 1, 6. XXXI, 11, 2. 12, 8.

Addendae sunt interrogationes indirectae, in quibus Ammianus item saepissime ponit indicativum, cujus rei exempla ante Livium praeter comicos non inveniri dicit Kühnastius (l. c. p. 234), qui duos locos Livianos affert, posteriore tempore rarissima esse Haasius affirmat ad Reisig. adn. 504.

XIV, 6, 22: nec credi potest, qua obsequiorum diversitate coluntur homines sine liberis Romae. 7, 14: quid rerum ordo postulat, ignorare dissimulantem. 10, 13: ut ostendam, qua ex causa omnes vos simul adesse volui. 10, 15: tamquam arbitros vos quid suadetis opperior. 11, 15: nullam . . . audiendi, quae ferebant, furari potuit facultatem. 11, 21: compulsuri eum . . . docere, quam ob causam quemque . . . necatorum jusserat trucidari. XVI, 11, 12: quae utrum ut vanus gerebat, . . . an mandatu principis . . . nefanda multa temptabat . . . latuit. 12, 18: experieris, quid miles . . . efficiet. XVIII, 3, 5: quid erat gestum ignorans. XIX, 4, 1: quae genera morborum unde oriri solent explicabo. XX, 8, 17: scio, quas rerum acerbitates . . . concordia . . . meliorem revocavit in statum. — Similes loci sunt hi: XX, 5, 4. 7, 1. 11, 5. XXI, 5, 1. 6, 1. XXIII, 6, 42. XXV, 3, 10. 3, 15. 4, 8. XXVI, 1, 1. 5, 9. 7, 15. XXVII, 5, 1. XXVIII, 6, 9. 6, 17. XXIX, 1, 32. 2, 15, 4, 2. XXXI, 2, 10. 10, 18. 15, 9.



De indicativo pro conjunctivo particulam „quod“ sequente v. infra s. infinitivo.

## De enuntiatis condicionalibus.

In enuntiatis condicionalibus componendis similitudo quaedam cernitur elocutionis Taciteae et Ammianeae. Nam apud utrumque saepius, quam apud alios scriptores — de Livio v. Kühnast. l. c. p. 226 sq. — quum in protasi condicionali conjunctivus imperfecti aut plusquamperfecti legitur, in apodosi pro conjunctivo invenitur indicativus et imperfecti et perfecti et plusquamperfecti. Sed hac crebritate tantum indicativi Taciti et Ammiani enuntiatorum condicionalium usum congruere, singulis rebus diversum esse apparebit.

Omnia ea Ammiani exempla, quibus indicativus i m p e r f e c t i invenitur, afferre nihil attinet, quod omnibus fere his locis verbum posse aut conjugatio periphrastica passivi legitur, quam ob rem indicativus nihil habet memorabile. Velut XV, 4, 2: et navigari (Rhenus) ab ortu poterat . . . ni ruenti curreret similis. XXV, 8, 15: in corpora sua necessitas erat humana vertenda, ni jumentorum caro caesorum aliquatenus perdurasset.

Contra alterum genus indicativi imperfecti in apodosi positi, quod usitatissimum est Tacito, rarissime invenitur apud Ammianum. Eos locos dico Taciteos, quibus apodosi plerumque primo loco posita significatur, jam in eo fuisse, ut aliquid fieret (quibus locis ellipsis est intellegenda) aut rem inceptam esse nec finitam aut tentatam aut petitam. Velut ann. I, 23: legiones octava et quinta decuma ferrum parabant . . . ni miles Romanus preces interjecisset. (Hoc loco „parabant“ non positum est pro „paravissent“, nam re vera parabant, sed simul audiendum est: „et pugna exarsisset, ni . . .“). ann. I, 35: ferrum deferebat in pectus . . . ni proximi dextram adtinuissent (i. e. ferrum in pectus deferre conatus est). ann. I, 65: Caecina . . . circumveniebatur, ni prima legio sese opposuisset (i. e. circumveniri coeptus est et hoc modo interisset, ni . . .).

Huic generi hic locus Ammianeus est adnumerandus:

XXII, 10, 6: et aestimabatur per haec et similia . . . vetus illa Justitia . . . imperante eo (Juliano) reversa ad terras, ni quaedam suo ageret, non legum arbitrio; i. e. aestimabatur et rectius etiam aestimata esset, ni . . .

Contra Taciteo, quem modo descripsi, mori non prorsus congruunt hi loci: XV, 4, 5: quod ni ita agi ipse doceret aspectus, nulla vi credebatur posse discerni. XXX, 5, 10: quam (praefecturam) si adeptus rexisset (Leo), prae his, quae erat ausurus, administratio Probi ferebatur in caelum.

Quae de Tacitea singulorum enuntiatorum collocatione diximus, non pertinere videmus ad usum Ammianeum.

P l u s q u a m p e r f e c t i in apodosi positi vis apud T a c i t u m non multo discrepat ab imperfecto. Nam ea modo verba in plusquamperfecto posita inveniuntur, quae i n c i p i e n d i habent sensum. Atque haec, si qui s t a t u s describendus est, in plusquamperfecto, non imperfecto poni necesse esse apparet. Exemplo sint hi loci:

Agr. 37: circumire terga coeperant, ni . . . Agricola . . . quatuor alas . . . opposuisset. hist. III, 27: incesserat cunctatio, ni duces fesso militi . . . Cremonam monstrassent. ann. IV, 9: si modum orationi posuisset, misericordia . . . animos audientium impleverat.

Sed Ammianus, quum hunc usum imitaretur, tempora ita subtiliter discernere nescivit, sed talia quoque verba in plusquamperfecto ponit, quae incipiendi non habent sensum. Itaque plusquamperfecti indicativus pro conjunctivo dositus est.

XIV, 3, 2: quod si impetrasset, . . . vastarat. 6, 3: (Virtus et Fortuna . . .) quarum si altera defuisset, (Roma) ad perfectam non venerat summitatem. XVI, 12, 70: quos (Juliani actus) sepelierat penitus, ni fama . . . silere nesciret. XIX, 6, 11: Persarum regem, . . . ni obstitisset violentior casus, . . . obtruncarant. XXI, 13, 2: nam si . . . nullum, qui resisteret, invenisset . . . penetrarat Euphratem. XXIII, 3, 3: ni multiplex juvisset auxilium, etiam Cumana carmina consumpserat magnitudo flammarum.

Indicativus p e r f e c t i pro conjunctivo imperfecti vel plusquamperfecti et a Tacito et ab Ammiano rarissime usurpatur.



Tacitum praeter unum locum tantum verba facultatis aut voluntatis aut adverbio „prope“ conjuncta ita ponere dicit Draegerus, idemque ad Ammianum pertinere haec docent exempla:

XVII, 1, 3: acerrimum nostris mirati sunt bellum, ni eorum regionibus excessissent (ultima haec verba non sunt indirecta). 1, 14: credique obtrectatoribus potuit, ideo fortiter eum . . . fecisse fingentibus, quod oppetere dimicando . . . magis optabat, quam . . . ut frater Gallus occidi, ni pari proposito post excessum quoque Constantii actibus mirandis inclaruisset. 7, 8: superesse potuit aedium . . . pars major, ni . . . flammarum ardores . . ., quidquid consumi poterat, exussissent.

Nonnullis locis in protasi condicionali ipso pro conjunctivo plusquamperfecti indicativus partim perfecti, partim imperfecti positus est, etsi condicio veritati prorsus repugnat. XIX, 11, 3: innoxii earum incolae partium viverent, ni postea exquisitorum detestanda nomina titulorum . . . adusque proscriptiones pervenerunt. XXII, 11, 10: poterant miserandi homines . . . defendi, ni Georgii odio omnes flagrabant. Hoc duplici indicativo haud scio an auctor invitus imitatus sit usum Graecum.

---

Conjunctionem „licet“, quum primitus verbum sit, apud omnes melioris latinitatis scriptores sequitur conjunctivus. Recentissimis tamen temporibus, illa verbi ratione neglecta, „licet“ ut „quamquam“, „etsi“ pro conjunctione acceptum cum indicativo est conjunctum. Handius (Turs. III, p. 545) primum id juris consultos, ut Ulpianum, deinde alios fecisse dicit, ut Apulejum, Macrobium.

Idem usus invenitur apud Ammianum ac crebrius fere quam conjunctivus.

Indicativi exempla: XX, 3, 3: licet utriusque sideris . . . motus . . . conveniunt. XVI, 10, 11: quae licet adfectabat. XVIII, 4, 5: licet patris . . . memoriam . . . detestatione perfudit. XXVIII, 5, 7: licet justus arbiter factum incusabit perfidum et deforme. — Similiter: XIX, 3, 3. 5, 4. 9, 9.

XX, 6, 9. 11, 9. 11, 14. XXI, 7, 5. XXIV, 1, 4. XXVI, 2, 3. XXX, 5, 16. 7, 11. XXXI, 15, 12.

Conjunctivus invenitur: XXVI, 8, 14: licet . . . praesumptor momentum pertimesceret grave. XXVII, 6, 3. XXIX, 2, 5. XXXI, 14, 3. aliis locis.

Uno loco Ammianus conjunctioni „quamvis“ adjungit indicativum. XXV, 3, 10: quamvis offundebatur oculis altitudo pulveris.

Conjunctionem „quum“ nonnullis locis, quibus causalem habet sensum, tamen sequitur indicativus. XXIV, 4, 10: accessus . . . adeundi copiam denegabat, maxime quum turres . . . montem . . . aequabant et planities . . . muniebatur. XXXI, 15, 1: quum praeter se nihil singuli cernere poterant, occipitiis propriis ferrum arbitrantes haerere.

„Quum“ concessive usurpatum cum indicativo positum est: XXI, 1, 4: ambitioso diademate utebatur . . . quum inter exordia principatus vili corona circumdatus erat. XXX, 8, 3: ut nullum . . . exciperet morte, quum id principes interdum fecere saevissimi.

„Dum“ i. e. usque ad id tempus „quo“ cum indicativo positum pro conjunctivo: XIV, 11, 5: vicarius ejus, dum redit, Prosper missus est Comes. — Id obliquae et rectae orationis commixtione effici manifestum est. (Cf. p. 106 sqq.)

## 2. De conjunctivo.

Conjunctivus iterativus inde a Livi aetate saepe sequitur conjunctiones quum, quoties, ut, ubi. Ammianus hoc modo conjunctivum addit particulae „quum“, sed etiam saepius particulae „si“, quae, si cum conjunctivo imperfecti aut plusquamperfecti conjungitur, in mere temporalem sensum vertitur, ut particulae „quoties“ fiat synonyma. Sed hac constructione jam Livium non raro uti demonstrat Kühnastius l. c. p. 237.

„**Quum**“ ita legitur his locis:

cum conjunctivo praesentis: XXVIII, 4, 18: Alexandri Magn. itinera se putant aequiperasse . . , si . . . invecti sunt . . . Cajetam, maxime quum id vaporato audeant tempore.



cum conjunctivo perfecti: XIX, 4, 6: qua causa animalia . . . . , quum talis incesserit labes, ante novimus interire. XXII, 8, 42: quum placuerit sine obstaculo migrant.

cum conjunctivo imperfecti: XXI, 16, 6: somno contentus exiguo, quum id posceret tempus et ratio. XXVII, 4, 9: ita humanum fundere sanguinem adsueti, ut, quum hostium copia non daretur, . . . suis velut alienis corporibus imprimerent ferrum. XXVII, 11, 2: contra timidos celsior, ut videretur, quum sibi fideret, de cothurno strepere tragico. 12, 14: Sapor immensum quantum astutus et, quum sibi conduceret, humilis aut elatus.

„**Si**“ rem saepius repetitam hic significat locis:

cum conjunctivo praesentis: XIV, 4, 6: victus univercis caro ferina est . . . et si quae aliter capi per aucupium possint.

cum conjunctivo perfecti: XIV, 4, 1: qui si praedam dispexerint, celsius volatu celeri rapiunt. XV, 10, 5: qui (lignei stili) si nivibus operti latuerint. . . difficile pervadunt. XXI, 14, 5: (genii animas mortalium) docent majora, si senserint puras. XXII, 8, 35: in quam (insulam) si fuerint quidam forte delati, visis antiquitatis vestigiis. . . vesperi repetunt naves. Similiter XXII, 15, 13; 15, 31; XXV, 1, 18; 9, 5; XXVI, 10, 10; XXX, 4, 9: 4, 17; 4, 18; XXII, 10, 4 cf. infra.

cum conjunctivo imperfecti: XXI, 16, 9: mortem longius in puniendis quibusdam, si natura permitteret, conabatur extendi. XXII, 10, 4: gaudebam plane, si ab his **laudarer**, quos et vituperare posse adverterem, si quid factum **sit** secus aut dictum. XXV, 8, 1: si . . . venirent ad ripas . . . caedebantur XXVII, 3, 5: indignanter sustinens, si, etiam quum spueret, non laudaretur.

cum conjunctivo plusquamperfecti: XIV, 1, 7: interdum acciderat, ut, si quid . . . paterfamilias uxori susurrasset in aurem . . . postridie disceret imperator. XIV, 5, 3: sisi quis . . . rumore tenus esset insimulatus . . . injecto onere catenarum in modum belluae trahebatur. 9, 2: Constantium,

caetera medium principem, sed si quid auribus ejus hujus modi quivis infudisset ignotus, acerbum et implacabilem. XV, 3, 5: si per quietem quisquam .... vidisse aliquid amico narrasset, id . . . imperatoris auribus infundebat. Similiter XVI, 8, 2. 12, 56. 12, 69. XXI, 16, 18. 16, 19. XXVI, 6, 7. XXVII, 7, 7. 11, 6. XXIX, 1, 27. XXX, 8, 14. XXXI, 14, 3. 15, 11.

„Nisi" quoque conjunctionem sequens conjunctivus crebritatem rei significat hoc loco. XXVIII, 6, 13: cunctis, nisi quos fuga discriminibus eximeret, interempti.

Conjunctioni temporali „ubi" Ammianus compluribus locis conjungit conjunctivum, qui tamen non solum repetitam actionem, sed etiam id, quod semel accidit, significat. Illam sententiam habent haec exempla: XXII, 15, 20: audax tamen crocodilus monstrum fugacibus, ubi audacem senserit, timidissimum. XXVII, 11, 2: ut (consecut.) videretur, quum sibi fideret, de cothurno strepere tragico, et ubi paveret, omni humilior socco.

De re semel facta: XIV, 2, 20: haec ubi latius fama vulgasset, . . . Nebridius . . . properabat. XXIV, 5, 9: ubi exercitus . . . festinaret, eruptores . . reverterunt. XXVIII, 5, 13: quod ubi negari . . sentirent . . . discesserunt. XXX, 5, 2: quum larnuntum . . . introisset . . . , ubi foris copiam dedisset, .... reprimebat barbaricos adpetitus. XXIV, 4, 16: verum ubi . . . jam moenia perungerent, cum sagittariis funditores . . . eos longius propulsabant.

Cujus usus Zumptius gr. § 570 Livianum affert exemplum: I, 32: id ubi dixisset, hastam emittebat. Alia nonnulla exempla, velut auct. belli Afr. 91, 4; 78, 4 afferunt Lübbert „Die Syntax von quom" p. 195, Hoffmann ‚Zeitpartikeln' etc." Kühnastius ea de re tacet.

„Dum" permultis locis, quibus significat „per idem tempus, quo", conjunctivo conjungitur qui usus vetustiore tempore apud poëtas, ut Ovidium, Tibullum, recentiore etiam apud pedestris orationis scriptores invenitur. Cf. Hand. Turs. s. v. Nonnulli loci Liviani -- non prorsus certi — a Kühnastio tractantur l. c. p. 236 sq., qui dubitat, an hoc conjunctivo adverbii „fere", „fortasse" sententia significetur. (Cf. nostrum „während etwa"). Sed hanc sententiam in Ammiani exemplis non inesse apparebit. XIV, 10, 1: haec dum Oriens diu perferret . . . Constantius . . . Valentiam petit. XVII, 13, 27: persultabat Illyricum furor hostilis . . . dum Jtalos tueremur et Gallos. XVIII, 3, 6: dum domesticos protectores sub Gallo regeret Caesare, proditor erat et perfidus. XVIII, 6, 9: dum intra muros maturanda perurgerentur . . . micantes ignes . . . perlucebant. XVIII, 6, 10: quem mater, dum . . . fugeret . . . , reliquerat solum. 8, 11: sagittam dum avellere obstante collega conarer, cinctus . . . civitatem petebam. XIX, 12, 2: nec furtis abstinuit innocentibus exitiales causas adfingens, dum in calamitosis stipendiis versaretur. XX, 6, 1: haec dum per Gallias agerentur . . . rex . . . adoritur.



Similiter: XX, 11, 12. XXII, 9, 1. 9, 9. XXIV, 4, 21. 5, 5. XXVIII, 1, 7. 2, 4. 4, 9. XXIX, 1, 11. 1, 18. XXX, 7, 5. XXXI, 7, 15. 10, 18.

Jam apud Tacitum, item apud posteriores multos scriptores particula „dum" indicativo conjuncta causalem potius quam temporalem habet sententiam, ut saepe nostrum „indem". Tacitea exempla affert Draegerus (Syntax etc. § 168). Apud Ammianum interdum significat idem, sed conjunctivo additur.

XV, 2, 9: nec defuere deinceps ex his emergentia casibus, quae discpiceres secundis avibus contigisse, dum punirentur ex jure. XXX, 5, 17: dum frustra tereret diem coactus per aliam egressus est portam.

Offendimur hoc conjunctivo particulam „quum primum" sequente: XIX, 1, 2: quumque primum aurora fulgeret, universa, quae videri poterant, armis stellantibus coruscabant.

Particulam „quamquam" modo indicativus modo conjunctivus sequitur. Hujus exempla: XXIV, 6, 6. XXVI, 10, 14. XXIX, 2, 24.

Generalia q. d. pronomina, sive duplicatione sive addito „— cunque" formata, in optima latinitate rarissime sequitur conjunctivus. Usitatior hic est Livio, Nepoti, Suetonio, nec deest Taciti elocutioni (v. Draeger. üb. Syntax u. Stil. etc. § 159). Ammianea exempla sunt non pauca. XIV, 1, 5: quidquid

Caesaris implacabilitati sedisset. XXIII, 4, 5: moles inposita disjectat, quidquid invenerit subter. Similiter XXIII, 4, 12. XXXI, 2, 7.

XVI, 12, 51: ut e... fluctibus, quocunque avexerit ventus, eici nautici properant. 12, 33: quoscunque . . . rupturos imperium .. praevideret, ... inquit. XXIII, 6, 17: halitus letalis, quodcunque animal proxime steterit, odore gravi consumit. Similiter: XXIV, 3, 12. XXIV, 4, 16. XXXI, 2, 18. 7, 6.

## De participio.

Participiorum fere innumerabilis multitudo invenitur in Ammiani oratione. Qua de re quum in universum loqui non ad syntacticam pertineat quaestionem, transimus ad singula.

Etiam optimi scriptores Latini praepositione „post" cum participio juncta pro ablativo absoluto aut enuntiatione temporali utuntur, sed raro et in certis praecipue vocibus. Contra apud Ammianum hic usus est creberrimus.

XIV, 1, 1: post emensos insuperabilis expeditionis eventus. 1, 4: post hoc impie perpetratum. 5, 1: post ludos editos. 6, 5: post superbas efferatarum gentium cervices oppressas latasque leges. XIX, 2,1: post incensum corpus ossaque... conlecta. Similiter: XIV, 7, 12. 10, 11. XV, 5, 22. 5, 28. 5, 37. 8, 3. 11, 2. XVI, 2, 9. 5, 6. 7, 7. 10, 7. XVIII, 2, 5. 2, 15. 3, 1. XXIII, 3, 4. 5, 20. 6, 3. 6, 4. XXIV, 6, 15. XXV, 3, 21. 8, 9. 10, 10. XXVI, 9, 9. XXVIII, 5, 8. XXIX, 2, 20. 5, 12. XXXI, 6, 8.

Persaepe Ammianus participia „praedictus", „ante dictus", „memoratus" adhibet ad ea significanda, quae optimi scriptores enuntiatione relativa solent exponere. Exemplo sint hi loci: XIV, 3, 4: dux ante dictus. XVI, 7, 10: rex praedictus. XXVI, 5, 6: in memoratis urbibus. — Jtem „ante dictus": XV, 2, 2. XVI, 2, 11. 12, 21. XVIII, 4, 3. XXI, 12, 18. XXII, 15, 18. XXIII, 6, 41. XXVI, 5, 2. XXVII, 4, 1. 6, 3. „praedictus": XVII, 1, 2. XXII, 13, 6. XXIV. 7, 8. memoratus: XV, 5, 4. XXI, 13, 5. XXVI, 5, 6. 5, 9. XXIX, 5, 40. Idem usus invenitur apud scriptores hist. Aug.

Jam a Livio, Tacito, Curtio, Suetonio, aliis, nec tamen a purissimae latinitatis auctoribus participium futuri activi ita usurpatur, ut apodosin enuntiati condicionalis contineat. V. Draeger. üb. Syntax u. Stil etc. § 195. Kühnast. l. c. p. 266.



Ammianea ejusdem usus exempla sunt creberrima. XIV, 1, 1: efferebatur in fastus, si plus valuisset, hostilia ausurus. 11, 2: Ursicinum . . . si nullus esset, qui prohiberet, altiora meditaturum. XV, 5, 1: calamitatum turbo novarum exstincturus omnia simul, ni fortuna . . . . motum cosummavit. XVI, 12, 45: formidabilis manus . . . circumventos, si juvisset fors, ereptura. Similiter: XXIII, 2, 1: XIX, 6, 10. 11, 1. XXI, 7, 5. 11, 1. 13, 1. XXV, 26. XXVIII, 3, 3.

Nonnullis locis participium futuri passivi ita usurpatum est ab Ammiano, ut omni necessitatis sensu careat et solum habeat sensum futurum. Quod apud recentissimos tantum scriptores inveniri Haasius docet (ad Reisig. adn. 580), qui vegeti exemplum affert. Ammianeos locos, etsi collegi, afferre non est in rem, quod inveniuntur in P. Langeni commentario (Philol. XXIX, p. 469 sqq.). Sed addendi sunt hi loci:

XVI, 7, 4: res monuit . . . super Eutherio pauca subserere forsitan non credenda (ubi sententia est: quae fortasse non credentur) XVII, 13, 3: in se pugnae molem suspicati vertendam (h. e. versum iri.).

Participium futuri passivi interdum in facultatis sensum transit idque negatione modo apposita, modo non apposita. XXV, 2, 1: inedia jam non ferenda. 4, 21: illud . . . parum ferendum (erat), quod . . . XVI, 12, 22: jumenti rectorem . . . levi negotio trucidandum.

## De gerundio.

Late patet in Ammianea oratione ablativi gerundii usus ita adhibiti, ut non pro instrumento positus sit, sed participii praesentis locum teneat. Haase (ad Reisig. adnot. 596) dicit, ablativum gerundii apud Ciceronem nullo fortasse loco hoc tantum significare, eodem tempore aliquid fieri, quo aliud, semper causam aut instrumentum, sed a Livi tempore illum usum magis magisque increbruisse et ad extremum in linguam Italicam transisse. Ex Tacito affero: ann. VI, 38: atrocia ... in praecipuos libertorum Caesaris composuit,

ipsi fluxam senio mentem objectando. De Livi usu v. Kühnast. l. c. p. 256 sq.

Ammianea exempla sunt haec:

XIV, 1, 6: hi honoratorum circulis adsistendo pervadendoque divitum domus . . . quidquid noscere poterant nuntiabant. 1, 9: palabatur quaeritando. 2, 2: nec cedentium quidem ulli parcendo . . . merces . . . avertebant. XVII, 1, 7: rapiebat nulli parcendo. XIV, 5, 6: ferebatur per strages multiplices . . . crimina consarcinando. 7, 5: Theophilum . . . multitudini dedit, adsidue replicando, quod . . . 11, 11: proficisci pellexit, saepius replicando, quod . . . XV, 7, 3: quum plebs . . . vini causando inopiam . . . convenisset. XVI, 5, 6: per omnia philosophiae membra prudenter disputando currebat. 12, 32: cunctando suscepi. XVII, 1, 8: stetit cunctando.

Similiter XIX, 11, 15. XX, 5, 8. 5, 10. 8, 2. 8, 8. 8, 17. XXI, 2, 2. XXIII, 6, 79. XXIV, 3, 7. XXV, 3, 1. XXVI, 9, 11. XXVIII, 9, 10. XXI, 1, 13. 15, 1. XXII, 7, 3. 10, 5. XXIV, 1, 4. 4, 4. XXV, 8, 2. XXVI, 4, 6. XXVII, 2, 8. 3, 7. 3, 10. 8, 9. 9, 10. 10, 12. 12, 2. XXVIII, 1, 7. 1, 13. 3, 5. 4, 12. 6, 3. XXIX, 1, 25. 5, 15, XXX, 4, 8. 4, 9. 4, 14. 6, 2. 8, 8. XXXI, 1, 3. 5, 8. 5, 9. 5, 16. 7, 14. 8, 10. 9, 3. 10, 5.

Separatim affero XXI, 5, 3: „contra gentium excursus stando immobilis“, quod hoc adjectivo optime apparet, ablativum gerundii omnino in participii praesentis vim transisse.

## De infinitivo.

Etsi infinitivi usus apud Ammivnum latissime patet et multum discrepat a consuetudine optimorum temporum, tamen brevissime de eo disseremus, quod omnis usus non modo infinitivi, sed omnium enuntiatorum substantivorum ex verbis pendentium copiose tractatur dissertatione, quam supra (p. 4) commemoravimus, Hermanni Kallenbergi.

Primum sequitur accusativus cum infinitivo secundum vulgarem morem verba sentiendi et declarandi. Sed pro illa constructione Ammianus saepissime utitur particula „quod“.



Quamquam enuntiata, quae hanc sequuntur, indirecta esse apparet, tamen in his, ut in omnibus enuntiatis indirectis (p. 37 sqq.), non modo conjunctivus, sed etiam indicativus legitur. Atque hic quidem est crebrior. (Kallenb. l. c. p. 9 sqq.)

Verba, quae contra bonae latinitatis morem accusativus cum infinitivo sequitur, quorumque in numerum etiam verba transitiva objecto suo et infinitivo juncta refero, haec sunt (Kallenberg l. c. p. 21 sqq.): impetrare, permittere (XIV, 1, 3: loqui permissus), ordinare, curare, statuere, hortari, compellere, praecipere, mandare, pellicere, illicere, arcessere, adigere, subigere, orare, monere, instituere, niti, dare (i. e. facultatem dare), ambigere, supplicare.

Etiam solius infinitivi usus extra eos, quos in optima latinitate habuerat, fines egreditur, nam pertinet ad haec verba:

arbitrari, laborare, certare, hortari, tendere, exoptare, monere, suadere, disponere, ardere, jubere, vetare, adjurare.

## De temporibus.

Temporum quoque in usu Ammianeum sermonem a vetustioris latinitatis integritate ac subtilitate longe videmus degeneravisse. Nam non modo omnes illae severae consecutionis temporum leges perierunt, sed etiam temporum vis ac sententia aliquo modo corrupta est et permixta. Atque haec imprimis corruptela quin a plebejo more profecta sit, vix potest dubitari.

**Praesens**

pro futuro usurpatum non deest optimae latinitati, sed rarissime invenitur. Plebejo autem sermoni id solitum fuisse Draegerus (h. S. § 139) colligit ex multis comicorum exemplis. Molestiora Ammiani exempla sunt haec:

XVI, 12, 11: quid nos agimus? XIX, 9, 4: accidentia longe ante prospiciens. XX, 7, 8: regis . . . non ante castrorum excidium digredi pertinaciter adjurantis. XXVIII, 6, 19: se quoque mox referre firmavit.

Praesens „oriri“ id significat, quod „ortum esse“. XXXI, 2, 10: nullus apud eos interrogatus respondere, ubi oritur,

potest. Idem demonstratur hoc loco: VX, 5, 16: Laniogaiso . . . docente Francos, unde (Silvanus) oriebatur.

**Imperfectum**

pro plusquamperfecto praeter hunc, quem modo attuli, locum legitur XVIII, 10, 4: lenitudinem profecto in tempore simulans, ut omnes, quos antehac . . . crudelitate terrebat, sponte sua . . . venirent.

Jam optimae aetatis scriptores in enuntiatorum condicionalium modo protasi modo apodosi non raro pro conjunctivo plusquamperfecti ponunt conjunctivum imperfecti. (cf. Zumpt. gr. § 525). Ammianea exempla sunt haec:

XVI, 7, 5: quem si Constans olim . . . audiret honesta suadentem et recta, nulla vel venia certe digna peccasset. XXII, 10, 6: et aestimabatur . . . Justitia imperante eo (Juliano) reversa ad terras, ni quaedam suo ageret, non legum arbitrio, erransque aliquoties obnubilaret gloriarum multiplices cursus. XXIV, 4, 24: se ultro offerret, si miles fuisset memorabilis conscius facti. Similiter: XXV, 4, 19. 10, 5. XXXI, 10, 19.

Conjunctivus imperfecti pro participio futuri cum „essem" juncto sequitur ex praesentis, quem supra commemarovi, usu pro tempore futuro ad hibiti.

XIX, 1, 4: caeleste numen . . . adegerat . . . credeutem, quod viso statim obsessi omnes metu exanimati supplices venirent in preces. XXIII, 1, 7: alia quoque minora signa subinde, quid accideret, ostendebant.

**Perfecto**

utitur Ammianus, quum praesens expectetur, his locis:

XVI, 5, 17: ut bestiae custodum neglegentia raptu vivere solitae ne his quidem remotis adpositisque fortioribus abscesserunt, sed tumescentes inedia . . . armamenta vel greges incursant. XIX, 7, 1: omnes oppetere gloriose properabant aut ruina urbis animis litasse caesorum.

Perfectum pro plusquamperfecto jam Caesar rarissime, Livius, Tacitus interdum usurpant, quod exempla a Draegero collecta demonstrant (h. S. § 130 A.). Idem apud Ammianum invenitur his locis:



XIV, 11, 6: decem vehiculis publicis, ut praeceptum est, usus . . . compellebatur. XIX, 12, 7: perrexit, ut praeceptum est, Paulus. XX, 9, 8: magistrum enim officiorum jampridem ipse Anatolium ordinavit. XIX, 11, 1: Constantium . . . promovebant nuntii indicantes . . . Limigantes Sarmatas . . . posthabitis locis, quae eis anno praeterito utiliter sunt destinata, . . . regiones confines limitibus occupasse. XX, 2, 3: quibus . . . veritis, ne offenderetur Eusebius, si documenta suscepissent perspicue demonstrantia, Sabiniani pertinaci ignovia haec accidisse, quae contigerunt.

**Plusquamperfectum**

pro imperfecto usurpatum est his locis: XIV, 6, 1: inter haec Orfitus praefecti potestate regebat urbem aeternam, vir . . . splendore liberalium doctrinarum minus, quam nobilem decuerat, institutus. XXX, 3, 2: quibus (cladibus), ut cunctatorem decuerat ducem, . . . lectis . . . negotium . . . quaesivit. — Sed hoc in usu verbi „decuerat" verborum posse, debere, similium analogia est respicienda. — XXI, 16, 7: quod nec spuisse . . . visus est, nec pomorum quidquam, quoad vixerat, gustaverit, ut dicta saepius praetermitto. XVII, 4, 3: hanc (urbem) . . . Cambyses, quoad vixerat, alieni cupidus . . . adgressus est. Idem „quoad vixerat" legitur XVI, 10, 18. XXX, 1, 2.

Jam optimae aetatis scriptores, maxime historici interdum pro perfecto historico utuntur plusquamperfecto, qua in re eventum magis actionis quam actionem ipsam respiciunt. Draegerus (h. S. § 130 B.) complures Sallusti, Livi, Taciti locos collegit. Tamen Ammianus hujus usus crebritate ceteros omnes multo superat.

XIV, 5, 6: unde admissum est facinus impium, quod Constantii tempus nota inusserat sempiterna. XVI, 8, 8: tunc illud apud Aquitanos evenit, quod latius fama vulgarat, XVII, 1, 2: petiturus ipse Moguntiacum . . . refragante vetabatur exercitu: verum facundia jucunditateque sermonum allectum in voluntatem traduxerat suam.

XIX, 1, 6: eruendae urbis apparatu nisibus magnis in-

stabat et ... petitione placatus ... super deditione moneri decreverat defensores.

Similiter XVI, 5, 12. XIX, 1, 6. 2, 1. 2, 10. 6, 12. XX, 2, 2. XXIV, 4, 17. 7, 4. XXVIII, 6, 20.

**Futurum.**

Nonnullis locis Ammianus verbo in futuro posito adjungit participium futuri, etsi hoc aliquid significatur, quod eodem tempore fiet, et participium praesentis expectatur.

XIV, 6, 2: summatim causas perstringam, nusquam a veritate sponte propria digressurus. XVI, 1, 2: singula serie progrediente monstrabo, instrumenta omnia mediocris ingenii commoturus. XXIV, 3, 7: moriar stando contempturus animam, quam mihi febricula eripiet una.

## De consecutione temporum.

In sententia minore conjunctivum continente Ammianus rectae et accuratae temporum consecutionis nullam habet rationem.

Jam optimi quidem scriptores, excepto Cicerone, ut Caesar, Livius, Tacitus nonnullis locis conjunctivo praesentis et perfecti utuntur in oratione obliqua temporis praeteriti, sed raro, et uno loco Tacitus (ann. IV, 11) in enuntiatione finali conjunctivum praesentis ponit pro conjunctivo imperfecti. Scilicet omitto multas interrogationes indirectas, quas etiam ab optimis auctoribus ex ejus, qui loquatur, plerumque igitur scriptoris sensu construi, i. e. in conjunctivo praesentis sive perfecti pro imperfecto sive plusquamperfecto poni demonstravit E. Schweikert (Zeitschr. f. Gymn. 1876, 1).

Sed Ammianus legibus illis sine discrimine tam saepe repugnat quam obsequitur, ut hac neglegentia omnes multo anteeat. Atque ad hunc liberiorem consecutionis temporum usum magnum attulisse momentum veri simile est sermonis Graeci consuetudinem, qui ea in re adeo discrepat a lingua latina, ut scriptori nostro leges illae difficillimae essent ad cognoscendum.

Innumerabilium paene Ammianei usus exemplorum affero haec:



Conjunctivus praesentis pro imperfecto. XVIII, 8, 5: quum, quid agi oporteat, cunctaremur. XXVII, 11, 5: suspiciosus . . fuit . . blandiens interdum, ut noceat. 12, 7: ordinarunt . . . ut lateant. 12, 8: ad deliberandum, quid capessere debeant . . . traduxerunt. XXIX, 2, 8: quid in primis orationis partibus conlocaret, ut proficere possit facilius, . . . praemonebat. 2, 19: quum consilium anceps, quid . . . statui debeat, haesitaret. 5, 48: visus est . . . hortari, ut dedant. XXX, 2, 4: Victorem et Urbicium ire jussit in Persas, responsum perferentes, quod . . . concupiscat.

Similiter: XIV, 6, 13. 7, 18. 10, 4. XVI, 11, 13. XVII, 3, 5. 10, 4. XVIII, 5, 1. XIV, 6, 4. 7, 5. XXI, 5, 13. XXII, 4, 10. XXIII, 1, 7. XXIV, 7, 5. XXV, 8, 12. XXX, 2, 4.

Conjunctivus perfecti pro plusquamperfecto. XXVIII, 6, 16: percunctando, quid egerint, cognoverunt. 6, 27: cogitans, quas criminum coxeret moles, . . . interiit. XXIV, 2, 9: . . . detulit addens, quod . . . parata sint. 5, 51: nihil . . . sibi restare, si obstinatius egerit, arbitratus, . . . prorupit. XXXI, 11, 6: Gratianus docto . . . patruo, qua industria superaverit Alamannos, . . . Sirmium introiit.

Similiter: XV, 5, 14. XVI, 5, 12. 5, 13. XVII, 3, 4. XIX, 9, 4. XX, 8, 3. XXI, 5, 10. 13, 7. 14, 2. XXII, 2, 1. 4, 6. XXIV, 1, 11. XXV, 8, 13.

Uno loco conjunctivus imperfecti usurpatus est pro conjunctivo praesentis. Nam tempus praesens in enuntiato majore non est historicum. XXVIII, 4, 13: poscuntur . . . trutinae, ut pisces . . . ponderentur . . . maxime quum haec eadem numerantes notarii triginta prope adsistant cum . . . tabulis, ut deesse solus magister ludi litterarii videretur.

Denique Ammianus, ut conjunctivi futuri exacti vim efficiat, persaepe conjunctivo perfecti utitur pro plusquamperfecti, si tempus praeteritum antecedit.

XIV, 3, 1: Nohodares . . , incursare Mesopotamiam, quoties copia dederit, ordinatus. XVII, 1, 4: navigiis imposuit milites, ea re, ut . . ., quidquid invenire potuerint, ferro

violarent et flammis. XVII, 1, 8: doctus ... latere plurimo ubi habile visum fuerit, erupturos. 1, 13: reges venerunt ... jurantes, (se) . . . fruges portaturos humeris, si defuisse si docuerint defensores. XIX, 9, 5: accepta fide, quod, si tu[t] licuerit, sequetur conjugem libens, evasit.

Similiter: XIX, 11, 6. XXIII, 2, 1. XXV, 9, 5. XXIX, 1, 6

---

Sed jam eas res syntacticas, quas, ut accuratius tractarentur, elegeram, explicavi. Ac demonstratum esse puto, Ammiani syntaxin non ita longe ab ea condicione, ad quam post Ciceronis aetatem syntaxis per optimos scriptores producta erat, recedere. Ut tamen tota Ammiani elocutione minime delectemur, quin etiam saepissime offendamur, aliis illis duobus orationis quasi elementis effectum est: stilo et vocabulis.

Tamen non pauca sunt, quae in auctoris nostri syntaxi praeter cetera memorabilia et Ammiani vel temporis ejus propria esse diximus. Atque haec quidem brevi repetere in rem mihi videtur esse.

Solus accusativus apud verba motum significantia. (p. 11.)
Comparativi pro positivo usurpati summa frequentia (p. 30.)
Ex cum vocabulo magistratum significante conjunctum (p. 33 sq.)
Quamdiu pro „usque adid tempus, quo" usurpatum. (p. 36.)
Licet cum adjectivis et participiis (p. 36 sq.) } conjunctum.
Licet cum indicativo (p. 41) }
Indicativus plusqu. pro conjunctivo in enuntiatis condicionalibus. (p 40.)
Quum concessivum et causale indicativo conjunctum. (p. 42 sq.)
Dum particulam indicativus sequens pro conjunctivo. (p. 42.)
Quum primum conjunctivo appositum. (p. 45.)
Gerundivum meri participii locum tenens. (p. 47.)



Infinitivus et particula quod pro aliis constructionibus liberrime adhibita. (p. 48 sq.)
Participium futuri pro participio praesentis (p. 52.)
Consecutionis temporum in enuntiatis minoribus conjunctivum continentibus libertas. (p. 52 sq.)

Reliquum est, ut eas res colligamus, quibus auctor praecipue Graecum usum secutus esse videtur.

Adjectivorum genus neutrum cum substantivorum genetivo junctum. (p. 8 sq.)
Accusativus verbalis. (p. 9 sqq.)
Dativus pro ablativo verborum generi passivo conjunctus. (p. 12.)
Adjectiva substantive posita. (p. 23 sqq.)
Praepositiones comparativo additae: praeter, ante, prae. (p. 29.)
Pronomen is pro reflexivo. (p. 30 sq.)
Sui pro adjectivo suus, a, um. (p. 31.)
Per ut κατά et διά causale usurpatum (p. 32 sq.)
Indicativus in oratione obliqua positus. (p. 37 sq.)

# Vita.

Natus sum Georgius Hermannus Hassenstein Regimonti Pr. a. d. V. Id. Dec. anni MDCCCXLVIII patre Hermanno, officinae cerevisiae possessore, matre Theodora e gente Wiedemann. Fidei addictus sum evangelicae. Nonum agens annum a directore Ellendt, viro humanissimo, in gymnasium Palaeopolitanum receptus sum, unde cum testimonio maturitatis dimissus mense Octobri a. MDCCCLXV academiam Albertinam adii et studiis me dedi philologicis. Scholis interfui professorum ill. Lehrs, Friedlaender, Schade omnibus, proff. ill. Jordan, Nitzsch, Ueberweg, Rosenkranz nonnullis. Seminarii philologici per tria semestria fui sodalis itemque interfui exercitationibus theotiscis. Postquam a. MDCCCLXXI seminarii paedagogici sodalis factus per quatuor semestria exercitationibus interfui, quintum nunc annum gymnasii praeceptoris ordinarii munere in urbe patria fungor.

Omnibus viris ill., qui litteris me instruxerunt, gratias ago quam maximas.